AZ.
III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXII
F
103
NAPOLI


PRAXIS CIVILIS,
ET CRIMINALIS
AVT.e BERNARDO RICCA
V. I. D. NEAP.
AD ISTANZA DI FRANCESCO
MAS F. M SARI.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

PRAXIS CIVILIS,

ET

CRIMINALIS

MAGNÆ CVR. VIC. REGNI NEAP.

In Compendium redacta

PER

BERNARDVM RICCA

V. I. D. NEAP.

Vtilis, & neceſſaria non ſolum Tyronibus, ſed quibuſuis verſatis in Tribunalibus, etiam Exteris.

Cum Formulario, circà quod interrogantur, qui admitti petunt ad examen procurationis.

DOMINO

BLASIO ALTIMARO

Viro Patritio Aduocato Neap.

DICATA.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

NEAP. Typis Io: Franciſci P[illegible]688.

Superiorum permiſſu.

Expenſis Franciſci Maſſari.

CVM in meam mentem venerit, imprimi facere breuem Ciuilem, & Criminalem Tribunalium Neapolitanorum, Praxim, illam Veſtræ Dominationi dicandã exiſtimaui, quæ in ſuis tot Operibus Legalibus Theoricis, & Practicis, nouus Theſęus, filo ſui maximi ingenij, ab ignauiæ Oceano, miſeram Legalem veritatem, quæ pauitans, & quaſi ſepulta, exeundi ſpem omnem amiſerat, extraxit, & exhumauit; Cum ſit Dominatio Veſtra notiſſima, tàm per Europæ Foros omnes, quàm ſingulos Areopagos, tàm ob Legalem diſciplinam, qua ſummè callet, quàm ob ſcientias alias omnes, & Hiſtoriarum totius Vniuerſi, Notitiam, ad ſe trahit librorum omnium Legalium, & Hiſtoriarum, Dedicatio-

nes, & hoc, vt ſuo aurato Calamo, Authores defendat à Zoilis, & Sua magna apud peritos homines, authoritate, protegat; dignoſcat tamen Veſtra Dominatio meæ nimiæ audaciæ, nam ſi paruum eſt munus, & parui eſt illud voluminis, magnum eſt ob deuotionem, & affectum; Et proprium Clariſſimorum Virorum eſt, nihil muneris facere, ſed multum donantis deuotionis. Hæc conſideret Veſtra Dominatio, & per plurima ſæcula viuat, & valeat. Kalendas Decembris M. DC. LXXXVIII.

Dominationis Veſtræ

Humillimus Seruus
Franciſcus Maſſari.

Domino Canonico Rodoerio, qui videat, & referat in ſcriptis. Hac die 8. Octobris 1688.

Sebaſtianus Periſſius Vic. Gen.

ILLVSTRISSIME DOMINE.

Opuſculum, cui Titulus *Praxis Ciuilis, & Criminalis M.C.V. Auctore V.I.D. Bernardo Ricca*, iuſſu Dominationis Suæ Illuſtriſſimæ à me recognitum, nihil continet, quod bonos mores, immunitatem, vel libertatem Eccleſiaſticam, aut Fidei Apoſtolicæ candorem offendere poſſit, idcircò ad commodum Iuuentutis imprimi poſſe cenſeo, ſi videbitur, &c. Neap. 10. Octobris 1688.

Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ.

Addictiſſimus Seruus
Ioſeph Rodoerius Can. Dep.

Imprimatur, hac die 15. Octobris 1688.

Sebaſtianus Periſſius Vic. Gen.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

GIo: Franceſco Paci Stampatore di Libri in queſta fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone à V.E. come deſidera ſtampare un'Operetta intitolata *Praxis Ciuilis*, & *Criminalis, del Dottore Bernardo Ricca*: Per tanto ſupplica l'Ecc. Sua reſtar ſeruita commettere la reuiſione di quella à chi più le aggrada, e l'hauerà à gratia vt Deus.

V.I.D. D.Nicolaus Carauita videat, & in ſcriptis referat.

CARRILLO R. SORIA R. MIROBALLVS R. IACCA R.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

TVis obtemperando præceptis, vidi Librum, cui titulus *Praxis Ciuilis*, & *Criminalis M.C.V. Regni Neap.* in compendium redacta per *Bernardum* Ricca V.I.D. & cum in eo nihil obſeruauerim, quod Regali Iuriſdictioni aduerſetur, uel bonis moribus officiat, imprimi poſſe arbitror, niſi aliter cenſueris. Neap. die 6: Nouembris 1658.

Excellentiæ Veſtræ

Humillimus Seruus

D. Nicolaus Carauita.

Imprimatur, uerum in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

CARRILLO R. SORIA R. MOLES R. MIROBALLVS R. IACCA R.

PRA-

PRAXIS
CIVILIS M. C. V.

1 ACTIONES, quæ oriuntur ex adminiſtratione tutelæ ſunt duæ. Vna directa, quæ datur pupillo contra tutorem, vt Tutor finita tutela reddat rationem, reſtituat deſcripta in Inuentario, & reſtituat lucrum, quod fecit cum pecunia pupillari, imò lucrum, quod facere poterat, *l. 1. C. de vſuris pupill.* Altera eſt contraria, quæ datur Tutori contra pupillum; Primò, vt Tutor repetere poſſit illud, quod erogauit in vtilitatem pupilli, & illud, quod erogauit extra domum ſuam gerendo negotia pupilli, ſed primo deducitur illud, quod in propria domo erat erogaturus, vt in *tit. de contr. et vtili Act. tutelæ*. Secundò, vt poſſit petere ſalarium de futuro, at ſecus de

tutela præterita, quia tunc non poteſt, &c. *l. à tutoribus, §. à principalibus, ff. de adminiſtrat. tut. Franch. Deciſ.*122.

2 Actio ſubſidiaria eſt illa, quæ in ſubſidium datur; & ideò Pupillus primo debet conuenire tutorem, quo defuncto hæredes ipſius, *l. fin. ff. de her. tut. vel cur.* deindè fideiuſſores ipſorum, *l.3. C. de fideiuſ. tut.* quibus deficientibus hęc actio datur aduerſus iudicem, qui non accepit ſatiſdationem, vel non idoneam, vt *in tit. C. de magiſtrat. conuen.*

3 Actiones pro conſequendo legato ſunt tres: v3. Perſonalis, Realis, & Hypotecaria, *l.1. & 2. C. comunia de Leg.* Competit Realis, & ſic reiuendicatio ſi legatum conſiſtat in re certa, & in ſpecie, veluti ſi teſtator legauit fundum tuſculanum, quia tunc recta via tranſit in legatarium dominium, & ſucceſſiuè competit Reiuendicatio, *l. à Titio, ff. de furtis, l. ſi tibi homo, §. cum ſeruus, ff. de leg.* 1. Si ve-

verò Legatum conſiſtat in genere, puta ſi teſtator legauerit ſeruum, vel equum in genere, & competit legatario perſonalis actio, vel hypotecaria, ſed non realis, quia non eſt translatum dominium antè traditionem rei legatæ, idem eſt, quando legatum conſiſtit in quantitate, putà ſi legauit 100. modios frumenti, vel decem anphoras vini.

4 Actio, quæ oritur ex contractu Mutui, conditio certi appellatur, ſed aduerte, quod ex contractu regulariter oritur obligatio, & ex obligatione Actio, *l. licet; §. ea obligatio, ff. de procur.* & illa actio perſonalis conditio appellatur, vndè ex mutuo datur actio, ſeù conditio certi generalis, prout regulariter ex omni contractu datur.

5 Actio ex commodato duplex oritur. Vna directa, quæ datur commodanti aduerſus commodatarium ad rem commodatam recuperandam, & ſi ſit deteriorata rationem ipſius, *l. ſed ſi, §. depoſita, ff.*

commodati. Altera contraria, quæ datur commodatario aduerſus cō-modantem ad repetendas expenſas neceſſarias in re commodata factas

6 Actio ex depoſito duplex oritur. Vna directa, quæ datur depoſitori contra depoſitarium, ad recuperandum depoſitum. Altera contraria, quæ datur Depoſitario ad recuperandas expenſas factas in re depoſita.

7 Actio ex pignore duplex oritur. Vna hypotecaria, & altera pignoratitia; Hypotecaria eſt duplex, Directa, & vtilis. Directa datur creditori aduerſus poſſeſſorem rei hypotecatæ; Vtilis verò ceſſionario, aut emptori hypotecæ, *l.*1. *C. de Act. & obl.* Pignoratitia eſt etiã duplex. Vna directa, quæ datur debitori, vt ſoluta pecunia pignus à creditore petere poſſit; Altera verò contraria, quæ datur creditori ad repetendas expenſas factas in re pignorata, *l. ſi neceßarias*, *ff. de pign. act.*

8 Actio, quæ oritur ex litterarum obli-

obligatione conditio appellatur, aduerſus quam opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ dupliciter proponi poteſt; primò per modum Actionis, & eſt quando debitor petit chirographum à creditore, vel, vt confeſſio declaretur nulla. Secundò, per modum exceptionis, & eſt quando creditor petit pecuniam, quia tunc debitor opponit exceptionem non numeratæ pecuniæ, *l. in contractibus, C. de non num. pec.*

9 Actio *l. Aquiliæ* eſt pęnalis datur aduerſus illum, qui incuria ſeruum alienum, vel alienam quadrupedem, quæ eſt in numero pecudum interficit, vt teneatur ſoluere ęxtimationem, qua valuit animal interfectum anno retro, *l.2.ff. de l. Aquilia*, & triplex eſt. Prima directa, quæ habet locum, quando damnum infertur de corpore ad corpus, putà ſi ſua manu interficit ſeruum. Secunda Vtilis, quæ infertur de non corpore ad corpus, puta, ſi voce fugauit bouem al-

alterius. Tertia eſt in factum, & eſt illa, quæ infertur de non corpore ad non corpus, puta ſi quis liberauit ſeruum alterius, quem Dominus in vinculis detinebat, vt emendaret, et ſeruus ipſe aufugit.

10 Actio ex quaſi contractu duplex. Vna directa, quæ datur domino aduerſus geſtorem, vt reddat rationem adminiſtrationis. Altera contraria, quæ datur geſtori ad repetendas expenſas factas in rebus adminiſtratoris, *vt in tit. ff. & C. de neg. geſtis*.

11 Actio Iniuriarum datur contra inferentem iniuriam, contra mandantem, vt efficiatur iniuria, contra eum, qui alium conduxit, vt alteri iniuriam faciat, & contra perſuadentem, *l. non ſolum, §. item, § feciſſe, ff. de iniur.*

12 Actiones, quæ competunt pro furto facto in naui, aut caupona; v3. Actio in factum ex quaſi maleficio; Actio furti, quæ datur aduerſus illum, qui furtum commi-

ſit,

ſit, & Actio in factum ex eo recepto, & datur aduerſus hæredes, quæ ciuilis eſt, *l.3. §.1. ff. nautæ caup. & ſtab.*

13 Actio furti non ſolum datur Domino, ſed omnibus, quorum intereſt rem non eſſe ſubtractam, *leg. cuius cum duabus ſequ. ff. de furtis*, & aduerſus furem plures ſunt introductæ Actiones; vʒ. Actio criminalis, Reiuindicatio, Conditio furtiua, Actio quadrupli, vel dupli, Actio ad exhibendum, *l. ſi pro profure, ff.de cond furtiua*.

14 Actio eſt Ius proſequendi in Iudicio, quod ſibi debetur. Iuriſconſul. *in l. nil aliud, ff: de Act. & obl.*

15 Actio Realis eſt illa, per quam ratione dominij, vel alterius Iuris cauſa conſequimur; vt Publiciana, Reſciſſoria, Reuocatoria, Seruiana, & quaſi Seruiana.

16 Actio Perſonalis eſt illa, per quam perſonam ex contractu obligatam habemus, *l.actio, ff.de Act. & obl.* & dicitur actio perſonalis, quia

quia cohæret perſonæ, vel quia libellus concipitur aduerſus perſonam obligatam; vt de conſtituta pecunia, de peculio, & in factum.

17 Actio mixta eſt illa, quæ participat de Reali, & de perſonali actione, exemplum eſt in Actione familiæ erciſcundæ, quæ datur hæredibus, vt communis hæreditas diuidatur, & ſic in quantum hæres petit partem ſuam; Actio dicitur Realis, ſed in quantum petit partem fructuum à cohærede perceptorum, eſt perſonalis, *l. item labeo*, §. *fin. ff. fam. erciſ.* idem eſt in Actione communi diuidundo, & finium redundorum.

18 Actio in rem ſcripta eſt illa, quæ reſpectu originis eſt perſonalis, ſed in quātū datur aduerſus eſt in rem ſcripta. Eſt exemplum in Actione, quod metus cauſa, nam ſi per metum librum meum habuiſti, ſi liber à te poſſideatur, actionem hāc aduerſus te proponere poſſum, ſed ſi à tertio poſſideatur aduerſus tertium propono Actionem, *l. me-*

l. metum §. fin. ff de eo, quod met. cauſa; Eſt etiam exemplum in Actione ad exhibendum, nam ſi tu habes librum meum, peto à te, vt exhibeas librum, & ſi alteri librum donaſti hanc Actionem aduerſus poſſeſſorem proponere poſſum, *l. 3. §. fin. ff. ad exhibendum*.

19 Actio rei perſequutoria eſt illa, per quam rem proſequimur, vt ſunt Actiones reales.

20 Actio pęnalis eſt illa, per quam pęnam proſequimur, vt eſt Actio furti manifeſti, & non manifeſti, de albo corrupto.

21 Actio mixta eſt illa, per quam, res, & pęnas proſequimur, vt eſt Actio de vi bonorum raptorum, & de *l. Aquilia*.

22 Actio ciuilis eſt illa, quæ à *l. ciuili* fuit introducta, *§. conſtat Inſt. de Iur. patr.*

23 Actio Prætoria eſt, quæ à *l. prætoria* fuit introducta, & præſcribitur anno.

24 Actio Natiua eſt illa, quæ habet præſiſtentem materiam, ideſt con-

conuentionem habilem ad producendam Actionem. Exemplum eſt in conuentionibus inuentis à Iure gentium, & à *l. ciuili* approbatis, nam ex contractu emptionis, & venditionis, venditor ad tradendam rem, & emptor ad ſoluendum pretium obligatur, vndè hæc actio dicitur natiua, *vt in tit. ff. & C. de Act. empt. & l. 1. ff. de act. empt.*

25 Actio Datiua eſt illa, quæ non habet præexiſtentem materiam, ſed Actio datur ex equo, & bono; Exemplum eſt in pacto nudo, ſed plures ſunt caſus, in quibus ex pacto nudo oritur actio. Exemplum eſt in Donatione, quæ nudo pacto perficitur, *l. ſi quis argentum, § fin. C. de donat.* Secundus eſt in promiſſione dotis, *l. ad exactionem, C. de dotis promiſs.* Tertius eſt de Iure Canonico *cap. 1. & c. qualiter de pactis*. Quartus eſt, quandò in cauſis proceditur ſola facti veritate inſpecta, *Bald. in l. finali, C. de offic. praf. pr.* Vndè in his caſibus Actio, quæ ex pacto nudo oritur,

tur dicitur Datiua, & non natiua.
26 Actio directa eſt, quæ principaliter introducitur, & quæ venit ex verbis, & ex mente legis.
27 Actio contraria eſt, quæ in conſequentiam, & ex contrario, exemplum eſt in contractu Depoſiti, commodati, & in pignoratitia Actione.
28 Actio vtilis eſt, quæ non venit ex verbis, ſed ex mente legis. *Gloſ. in l. actio, ff. de neg geſtis, l. actiones, ff. de action. & obligation. & Bar.* inquit *in l. Curatoris, C. de neg geſtis*, quod vtilis Actio eſt, quæ venit ex interpretatione Iureconſultorum, *l. fin. ff. ſi quatr. paup. &c.*
29 Actio vniuerſalis eſt, quæ ad rem vniuerſalem datur, ad petendam hæreditatem, quoniã hæreditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit tempore mortis, *l hæreditas, ff. de reg. Iuris.*
30 Actio Generalis eſt, quæ ad negotiũ generale datur, quod diſtincta, & diuerſa continet capita, prout eſt Actio tutelæ, & Actio ne-

negotiorum geſtorum.

31 Actio Particularis eſt, quæ datur ad petendam rem particularem, puta domum, aut fundum, *Gloſ. l. 1. ff de ed.*

32 Actio Bonæ fidei eſt illa, in qua Iudicis officium liberum eſt iudicandi, quanti Actoris intereſt, *§. fin. de obl. quæ ex conſenſu naſc.* & ſunt v3. Sex oriuntur ex contractibus, qui ſolo conſenſu celebrantur, vt Actio ex empto, ex vendito, ex locato, ex conducto, Mandati, & pro Socio. Tres oriuntur ex contractibus, qui re contrahuntur, vt Actio depoſiti, commodati, & pignoratitia. Quatuor oriuntur ex quaſi contractu, vt Actio negotiorum geſtorum, Tutelæ, familiæ erciſcundæ, & communi diuidundo; Duæ oriuntur ex contractibus innominatis, vt Actio præſcriptis verbis exiſtimo, quæ habet locum, quando res eſtimata alicui traditur, vt ea extimatione vendat, & ſi plus vendat illud cedat pro ſalario ipſius vendentis, *l. 1. ff. de extimat.*

mat. act. Alia eſt Actio præſcriptis verbis, quæ locum habet in permutatione, in cæteris verò caſibus Actio ex præſcriptis verbis eſt ſtricti Iuris. Aliæ duæ Actiones Bonæ fidei, vna dicitur petitio hæreditatis, & alia Actio ex ſtipulatu pro dote.

3 Actiones ſtricti Iuris ſunt illæ, in quibus Iudex ſecundum naturam ipſarum actionum Iudicare debet, & ab ipſa recedere non poteſt.

4 Actio confeſſoria eſt vendicatio ſeruitutis à re alterius, nobis, aut fundo noſtro debitæ, *l.1. & 2. ff. ſi ſeru. vendicetur*, & dicitur confeſſoria, quoniã confitetur, & verbis affirmatiuis quis aſſerit in re alterius ſeruitutem habere, *d. l.2.* & eſt duplex, vna directa, quæ datur directo Domino, & altera vtilis, quæ datur vtili Domino fundi dominãtis, & ſic emphiteoticario vaſſalli, & ſuperficiario, *d. l.2. l. in prouinciali, §. ſi ego, ff. de nou. oper. nunc. l.1. §. fin. ff. de ſuperficiebus.*

5 Actio Publiciana eſt Actio realis

prætoria ſtricti iuris, qua petimus illud, quod ex iuxta cauſa à non Domino fuit traditum, & adhuc non vſucaptum, *l.* 1. *ff. de publiciana in rem act.* vt ſi quis emit rem à non Domino, quem Dominum eſſe credebat, ſi ante completam vſucapionem rem ipſam amiſit, à poſſeſſore vendicare non poteſt, quam rei vendicatio præſupponit dominium ex parte agentis, vndè rem ipſam petit per Actionem publicianam à Q. Publicio Prætore introductam.

36 Actio Negatoria eſt Actio realis, qua dicimus res noſtras non ſeruire rebus, aut perſonæ illius, qui in his ſeruitutem habere prætendit, *l.* 2. *C. ſi ſeru. vend.* & datur contra eum, qui Ius in re alterius habere prætendit, *l. ſi commiſerit, C. fin. regund.*

37 Actio Reſciſſoria eſt Actio prætoria in rem, quæ Domino datur ad rem ſuam recuperandam reſciſſa vſucapione propter abſentiam, vel aliam cauſam, *l. in*

bo-

honorarijs, ff. de Act. & oblig.

Actio Reuocatoria eſt Actio pretoria perſonalis creditori competens aduerſum eum, qui ſciens, & particeps fraudis bona in fraudem creditoris à debitore alienata accepit, *l 1. C. de reu. his, qui, &c.* & Pauliana hæc actio appellatur, & eſt multiplex; vz. Directa, quæ datur creditoribus, quando debitor in fraudem ipſorum per contractum bona alienauit, Vtilis, quę datur creditoribus, quando debitor per vltimam voluntatem, puta legando, aut fideicommittendo in fraudem ipſorum diſpoſuit, *l. qui autem, §. item, ff. quæ infr. cred.* Perpetua eſt, quæ durat per 30. annos, quãdo debitor titulo lucratiuo bona ſua in fraudem creditorum alienauit, Temporalis, quæ per ſpatium vnius anni proponi poteſt, & eſt quando debitor titulo oneroſo alienauit, *l. ait Prætor, §. hæc actio, ff. quæ infr. cred.* In factum eſt quando debitor rem incorporalem, puta nomen debitoris in fraudem

dem creditorum alienauit, *l 1. §. hoc in factum, ff ſi quid infr. patr.* Fabiana eſt, quæ datur, quando libertus in fraudem patroni alienat bona ſua, *l. 1. & 2. ff ſi quid in frau. patr.* Vtilis Fauiana datur filio arrogato, quando pater arrogator in fraudem ſuæ quartæ bona alienat, *l fin. §. fin. ff. ſi quid in frau. patr.* Caluuſiana datur patrono, filio arrogato, & cæteris, Edictum fraudatorium habet locum, quando quis rem alienam in fraudem creditorum alienat, puta ſi tutor in fraudem pupilli bona pupilli alienat, *l, pupilli, ff. de ſolut.* vbi *Gloſ.*

39 Actio Seruiana conceditur Domino prædij aduerſus conductorem, & eius res inuectas in prædio conducto, & dicitur Seruiana, vel á ſeruando, quam ſaluum reddit Ius locatoris, vel à Saluio Prætore, qui actionem ipſam introduxit, & ſic bona inuecta in prædio cōducto ſunt tacitè obligata pro penſione.

40 Actio quaſi Seruiana, quæ etiam Hypothecaria dicitur, quæ datur cre-

creditoribus, qui tacitè, aut expreſsè bona debitoris habent obligata.

41 Actio Noxalis eſt, quæ datur ex maleficio ſerui aduerſus Dominum, cui electio conceditur, vel reficere damnum, vel dare ſeruum pro maleficio. *l.* 1. *ff. de nox. act.*

42 Actio Noxalis de pauperie eſt perſonalis à *l.* 12. tabularum introducta, per quam Dominus quatrupedis ad extimationem damni per quatrupedem dati, vel dare quatrupedem pro damno tenetur, *d. l.* 1. & ſic datur pro damno ſine Iniuria dato, & ſic à quadrupede, in qua non conſideratur Iniuria, & eſt duplex, vna directa, quæ venit ex verbis 12. *tab.* & habet locum, quando quatrupedis manſueta facit damnum; Altera verò vtilis eſt, quæ non venit ex verbis, ſed ex mẽte, *l.* 12. *tab.* putá ſi bipes fecerit damnum, vel alia fera beſtia, quæ eſt in dominio alicuius, *l. penul. ff. eod.*

43 Actio Doli eſt actio prætoria

 per-

perſonalis arbitraria, quæ datur decepto aduerſus decipientem, ad reſtitutionem rei per dolum habitæ, vel ad illud, quod Actoris intereſt, *l. arbitrio, ff. de dolo*, & eſt duplex, Vna directa, quæ venit ex verbis legis, & intra biennium datur contra doloſum, *l. fin. ff. de dolo*; Altera eſt vtilis, quæ venit ex mente, & appellatur etiam Vtilis in factum, vel ſubſidiaria, & habet locum, quando directè ex aliqua cauſa non poteſt intentari; de hoc eſt exemplum, quando intentatur aduerſus hæredes doloſi, aduerſus quos poteſt intentari per ſpatium 30. annorum.

44 Actio præſcriptis verbis datur, quando ſoluens non repetit ſolutum, ſed inſtat, vt recipiens adimpleat ex parte ſua; vt *in tit. ff. de præſcriptis ver.*

45 Actio de conſtituta pecunia eſt actio prætoria perſonalis, quæ datur aduerſus eum, qui nudo pacto ad certam diem pecuniam, quam ipſe, vel alius debet, ſe ſoluere conſti-

ſtituit. *l.* 1. *ff. de conſt. pec.*

46 Actio de peculio eſt Actio prætoria perſonalis, quæ datur aduerſus patrem, vel dominum, ex contractu filij, vel ſerui viuentis, vt teneatur in quãtum eſt in peculio.

47 Actio de Albo corrupto eſt, quæ datur aduerſus corrumpentem Album Prætoris, vt pęna 50. duc. puniatur, *l. ſi is id, quod, ff. de Iuriſd. omn. Iud.*

48 Actio in factum ex Iuramento, eſt actio prætoria perſonalis, qua agit is, qui deferente aduerſario ſibi deberi iurauit, vt ſoluatur pecunia, quam ſibi deberi iure iurando confirmauit, & datur ad conſequendam rem vná cum fructibus, ſi in actione reali ſit iuratum, *l. ſi poſſeſſori, ff. de Iure Iur.* ad conſequendam quantitatem, ſi in actione perſonali ſit iuratum, & ad conſequendam extimationem, ſi res, ſuper qua fuit iuratum, poſt moram Aduerſarij, perit, *l. cumque, §. 1. ff. de Iure Iur.*

49 Actio præiudicialis eſt Ius per-

ſequendi in Iure ea, quæ ſpectant ad ſtatum proſequentis, vel Aduerſarij; exemplum eſt, Propoſuiſti accuſationē criminalem aduerſus me, oppono, quod es ſeruus, & ſucceſſiuè non potes accuſare, de ſtatu tuo primo loco cognoſcendum eſt.

50 Actio mere pęnalis eſt, per quam pęnam proſequimur, vt in Actione furti manifeſti, & non manifeſti.

51 Actio familiæ erciſcundæ eſt, quę inter hæredes locum habet, vt hereditas, quæ communis eſt diuidatur, *l.1.ff.fam.erciſc.*

52 Actio communi diuidundo eſt, per quam res particularis, & communis diuiditur.

53 Actio finium regundorum eſt introducta inter confines prædiorum ruſticorum, ad hoc, vt eorum limites diſtribuantur, *l.4.§.fin.ff.de term.moto.*

54 Actio Arbitraria eſt illa, cui officium mercenarium Iudicis deſeruit propter aliquod extrinſecum

acci-

accidens contra naturam Actionis intentatæ, *Bart. l.* 1. *§. hac actio, ff. de publiciana*.

55 Actiones, quę oriuntur ex contractu filij, vel ſerui ſunt; v3. Actio, quod iuſſu, quæ datur aduerſus patrem, vel dominum, qui dedit iuſſum filio, vel ſeruo ad contrahendum, *l.* 1. *ff. quod iuſſu*; Exercitatoria, quæ datur ei, qui cum Magiſtro Nauis contraxit, aduerſus eum, qui magiſtrũ in Naui propoſuit. Actio Tributaria, quæ datur aduerſus Dominum, vel Patrem ex contractu filij, vel ſerui, de mercede peculiari, putà ſeruus, vel filius ſciente Domino, vel Patre, negotiatur, pro rata debiti, inter Dominum, patrem, & creditores diuidenda, *l.* 1. *ff. de trib. act.* & dicitur tributoria à diſtribuendo, &c.

56 Actio Inſtitutoria eſt, quæ datur aduerſus eum, qui aliquem inſtitutorem alicuius negotiationis conſtituit, vt teneatur ex contractu inſtitutoris, *l. inſtitutor, ff. de*

inſtitut. act. & dicitur Inſtitutor, qui negotiationibus proponitur, & ita dicitur, quia in negotijs inſiſtit, *l.3. ff. de inſtitut. act.*

57 Actio de in rem verſo eſt, quæ datur ex contractu filij fam. vel ſerui aduerſus patrem, vel Dominum, quotieſcumque res, quę continetur in contractu, in vtilitatem patris, vel Domini ſit verſa, *l.2. §. in rem, ff. de in rem verſo.*

58 Actio popularis competit pro Iniuria Doctori illata, *Bart. & Alex. l.1. §. ius publicum, ff. de Iuſt. & Iure.*

59 Actio Redibitoria eſt, per quam reſcinditur venditio, ſi animal, vel res morboſa, ſeù vitioſa vendita fuerit, & præſcribitur per 6. menſes.

60 Actiones populares ſunt v3. de Albo corrupto, *l. ſi quis, ff. de Iuriſd. omnium Iud.* In factum de deiectis, vel effuſis, ſi liber homo ſit offenſus, vel occiſus, *l.5. §. nec actio, ff. de his, qui deiec. vel eff.* Actio in factum de ſuſpenſis, de-

qui-

quibus periculum tranſeuntibus euenire poteſt. Actio in factum, quando hæres, qui adiuit hæreditatem, adiuit, non vindicat mortem defuncti.

61 Actio quanti minoris datur propter morbum, puta ſi res vendita 20. propter morbum valet decem datur annus ad petendum ſuperfluum, *l. quod ſi nobis, §. ſi quis, l. Iul. §. 1. ff. de empt. & vend.*

62 Actio quanti emptoris intereſt rem vitioſam non fuiſſe, habet locum ſi tignum vitioſum ſit venditum, & ædes vitio tigni corruerunt, vel fetus morboſum eſſet venditum, & alia pecora contagione perierunt, *l. Iulianus, ff. de act. empti.*

63 Actio in factum Edilitia habet locum, quando facta redibitione venditor moratur pretij extimationem, & datur ad recuperandum pretium, *l. ſi nolit, §. in factum actio ff. de empt. & vend.*

64 Actio ex ſtipulatu competit quãdo dos eſt promiſſa, & non tradi-

ta, *l. ex diuersò, ff. ſol. matrim.*

65 Actionis nomen in libello non eſt exprimendum, ſed ſufficit narrare factum, ex quo Actio intelligitur *cap. dilecti de renunciatione*; Benè verum eſt, quod hoc non habet locum, quando ex narratione facti plures oriuntur actiones, quia tunc nomen actionis eſt exprimendum. *l. ſi duo, ff. de ſolut.*

66 Acta debent peti ſumptibus petentis DD. *in l. is, apud quem C. de edendo*, quod fallit in copia primi libelli, quæ datur ſumptibus Actoris, *glo. in l. 2. de Appell.*

67 Adiuncti in cauſa peti debent à Præſide S. C., quando in votando ipſe non interuenit, & hoc, quando in cauſa factum eſt penitus verum, ſed ſi votauit petuntur à Prorege.

68 Aduocatus opponens exceptiones dilatorias poſt litis conteſtationem, quas debet opponere antè, punitur pœna 12. ducatorum *l. pen. C. de except Mar. in ſuo ſpec. par. 6. n. 10. fol. 416.*

69 Appellatio debet infrà decem

dies

dies à die notificationis ſententiæ *Auth. bodiè C. de Appell.* qua Appellatione interpoſita debet libellum Appellationis interpoſitæ præſentare ad Iudicem ad quem, cuius tenor talis eſt cum appellatur à ſententia M. C. ad S. R. C. *Sacræ Regiæ Maieſtati. Supplicat humiliter N. C. dicens diffinitiua ſententia mediante fuiſſe condemnatum ad dandum, & ſoluendum N. C. ducatos* 200. *vnà cum intereſſe (vel ad relaſſandum quamdam domum in actis deductam vnà cum fructibus) à qua ſententia vti grauatus, cum reu. appellauit ad Maieſtatem Veſtram, prout per præſentem appellat, & intendens dictam cauſam Appellationis in veſtro S. C. proſequi, vt eius indemnitati prouideri poſſit, ſupplicat M. V. dignetur dictam cauſam Appellationis committere vni ex Dominis Conſiliarijs, qui in prædictis Ius, & Iuſtitiam faciat, omni modo meliori, vt Deus, &c.*, & commiſſa cauſa expediri debent prouiſiones inhibitoriales pro actis tranſmittendis à Iudice à

quo ad Iudicem ad quem, & Acta transmitti, & præſentari infrà 50. dies à die notificationis ſententiæ numerandos, vt in *Conſt. Regni Appellationum tempora*, qua Copia præſentata habet annum pars Appellans ad proſequendam, & fruendam Appellationem, connumerandum à die interpoſitę Appellationis, qui Annus dicitur primũ Fatale, quo elapſo confirmatur ſententia, ſed ſi fuit impeditus ex iuſta cauſa, tunc datur alius annus, qui dicitur ſecundum Fatalẽ *Auth. ei qui C. de Temp. Appell. Carau.rit.* 169. *n.* 8., quod ſi labatur confirmatur ſententia, & ſi fuit etiam impeditus in ſecundo Fatali ſolet ei dari etiam tertius annus ex iuſtiſſima tamen cauſa, quod intellige, ſi in toto illo ſecundo anno fuit impeditus, alias reſtituetur ſibi non annus integer, ſed tantum tempus, infrà quantum durauit impedimentum, & iſtud tempus, quod datur póſt ſecundum fatale, datur ſolum per viam reſtitutionis in integrum,

& non

& non ipſo iure, ſed primus, & ſecundus annus dantur ipſo iure à lege, & poſt interpoſitam Appellationem dantur 50. dies appellanti, infrà quos debet recipere Apoſtolos, & præſentare proceſſum coram Iudice, ad quem, & facere citari partem, alias Appellatio eſſet deſerta. Deindè in anteà præſentato proceſſu, & facta citatione partis infrà 50. dies habet Appellans primum fatale, & ſic primum annum; & dicuntur Apoſtoli, ideſt literę miſſæ ad ſuperiorem.

70 Appellatio declaratur deſerta & habetur equè ac ſi appellatum non fuiſſet, ſi infra 50. dies non fuerit præſentata copia proceſſus coram Iudice ad quem, vt in Conſtitutione Regnis *Appellationū tempora*, vel ſi Appellans non proſequtus fuerit Appellationem infrà annum, vel biennium, niſi excuſaretur aliqua iuſta cauſa, vel impedimento, vndè cautela eſt, quod Appellatus ſtatim, cum videt elapſos 50. dies compareat, & petat Appellationem de-

clarari deſertam coram Iudice ad quem, quiá ſi poſteá præſentatur proceſſus, Appellatio reperitur deſerta ipſo iure, & iuriſdictio deuoluta eſt Iudici à quo. Declaratur etiam deſerta Appellatio ſi non fuerint petiti Apoſtoli infrà 50. dies, vndè hodiè in Regno Appellans debet omnia iſta expedire infrà 50. dies, v3. preſentare Appellationem, & proceſſum, & Apoſtolos Iudici ad quem, & facere citari partem ad proſequendum, & habere reſponſum congruum à Iudice Appellationis, alias ſi vnum ex iſtis deficiat, Appellatio remanet deſerta. Si ſtetit per Iudicem ad quem, qui abſens erat, & Appellans nō potuit proſequi Appellationem, & fatalibus elapſis confirmatur ſententia M. C. V., & debet inſtari Appellationem declarari deſertam, qua inſtantia præſentata citandus eſt Reus ad dicendum cauſam quarè Appellatio non debeat declarari deſerta, & ſi iuſtam cauſam non allegat declaratur Appellatio deſerta

facto

facto verbo, & reſcribitur Iudici à quo, vt ſuam exequatur ſentẽtiam, & ſi infrà decem dies non fuit appellatum, ſententia tranſit in rem iudicatam.

71 Appellatio declaratur deſerta, primo quando non præſentantur Acta Iudici ad quem infrà dictum ſpatium 50. dierum. Secundo ſi prę-ſentauit, ſed per negligentiã nõ fuit proſequta Appellatio. Tertio ſi Appellans poſt ſententiam ligauit coram Iudice à quo, quià tunc tacitè videtur renunciare Appellationem, & denuò ſi Iudex ſtatuit terminum Appellanti ad proſequendum, & non fuit proſequtum.

72 Articuli produci poſſunt infrà terminum datum ad probandum, aliter elapſo termino vlterius produci non poſſunt, *vt in pragm. quinta die, &c.*

73 Articulorum copia poteſt dari parti, dummodò ſit primo examinatus, & ſi is, qui habuit copiam vult nouos articulos producere, poteſt illos præſentare infrà tres dies

à die

à die acceptæ copiæ.

74 Articulis præſentatis Actuario cauſæ debet Actor deponere per verbum, credo, vel non credo, & abſq; præſentia Aduocati, vel Procuratoris, *vt in pragm. quinta die de ord.Iud.*,& in *ritu* M.C.*Item,quod infrà, &c.* Quà depoſitione habita, debet Procurator Actoris illam notificari facere Procuratori Rei conuenti, qui Procurator poteſt petere terminum ad percunctandum eam, an ſit formiter facta depoſitio, & quando principalis citatus ad deponendum non vult reſpondere citatur tribus citationibus,in vltima quarum inſeratur tenor Articulorum,ſuper quibus examinandus eſt, & adhuc renuente habetur pro confeſſo ſuper eis, à quo decreto non datur appellatio, ſi ex depoſitione principalis non fuit releuatus, Iudex debet prouidere,quod terminus currat ab hodie; qua prouiſione facta debet Actor illam notificari facere Reo, *Carau. ſuper rit.69.n.5.* ſiuè eius procuratori, in cuius noti-

tifi-

tificatione conſideret an teſtes ſui principalis ſint præſentes, vel abſentes, ſi præſentes, tunc in illius termini dorſu, reſpondeat, quod detur liſta examinatorum ſuſpectorum, ad finem vt de non ſuſpecto fieri poſſit electio, prout fieri debet, *vt in pragm. reſponſionibus de ord. Iud.* & ſit decretum, quod infrà biduum detur liſta, & intimetur.

75 Aſſiſtentiæ extrema, ſunt probare, qualiter bona, ſuper quibus petitur Aſſiſtentia, fuerunt in bonis, & de bonis defuncti debitoris *Affl. deciſ. 383.*

76 Cauſa eſt ipſum Ius deductum in Iudicio.

77 Cauſæ inter coniunctos compromitti debent, *pragm. odia.*

78 Citatio debet fieri perſonaliter, vel domi, *vt in pragm. relationis de ord. Iudiciorum*, per Nuncium, continens diem, menſem, annum, & locum, & quando ſit extra diſtrictum Neap. debent eſſe præſentes duo teſtes, quorum nomina, & cognomina ſcribi debent in dicta relatione,

alias

alias citatio eſſet nulla, niſi conuentus, vel eius procurator compareret apud acta cauſæ, quia tunc per talem comparitionem conualidaretur citatio nulla.

79 Citatio teſtium fit, adhoc appareat, quod non ſponte teſtes ſe ingerunt, ſed rogati, quia alias ſi vltrò ſe ingererent, eſſent ſuſpecti de falſo, & ſic non ſolum debent citari teſtes, ſed etiam Procurator Actoris ad videndum eorum iuramenta, qui procurator poteſt petere requiri tempore receptionis, & proteſtari contra teſtes, & dicenda per eos, quatenus contrà eius principalem depoſuerint, & non aliter, nec alio modo.

80 Clerici non poſſunt examinari abſq; licentia ſui Prælati.

81 Compromiſſum fit quando litigantes ſunt conſanguinei vſq; ad quartum gradum, & peti poteſt vſq; ad dationem termini, *vt in pragm. cdia de compromiſſ.*

82 Compromiſſum non poteſt peti in cauſa Appellationis.

83 Con-

83 Concluſione facta in cauſa, fit monitio ſuper expeditionis cauſæ, (*Mon.ſup. exped. cauſa*), qua citandus eſt Reus ad ſententiam, ideſt ad dicendum quicquid dicere voluerit in cauſa in iure, & in facto, & in ſcriptis, in qua citatione poteſt peti terminus ad percunctandum, (*Term. ad percunctandum*) quo termino elapſo procedi debet ad expeditionem cauſæ, niſi tamen fuerint de nouo præſentatæ ſcripturæ per aliquam ex partibus, & fuerit petitus terminus ad eas impugnandum (*Term. ad impugnandum*) *&c.* prout peti poſſet, & eſt concedendus Iudicis arbitrio, & niſi fuerit inſtatum pro declaratione circà vſum teſtium, & ſcripturarum, tunc enim ſuperſederi debet in cauſa, donec dicta declaratio ſit formiter facta.

84 Conſiliarij num. 2. non poſſunt iudicare, niſi infrà ſumma duc. 200. vltrà verò ſecus, & conſequenter eſt nulla eorum ſententia.

85 Ceſſio bonorum impedit exequ-

tio-

tionem ſententiæ *Bal. in l. 1. C. qui bon. ced. poſſ.*, & ſi per iuramentum fuiſſet huic ceſſioni renunciatum, *Teſaur. in deciſ. Pedem. 36.* Debet primo Appellari à ſententia, qua pendente fiat confeſſio debiti; & petat hoc remedium ceſſionis bonorum, nam tunc conceditur, & impedit exequtionem ſententiæ, ſed quando fuit admiſſus ad dilationem quinquemnalem non conceditur, dummodò creditores ſint antè dictam dilationem, at ſecus ſi poſt, & qui vult facere ceſſionem bonorum aſcendit lapidem marmoreum cum columna, vbi ſtat aliquo temporis ſpatio, & interdum irridetur à pueris.

86 Cedens bonis ſi ſit laicus debet aſcendere, &c., & iſta ſolemnitas, quę adhibetur eſt ignominioſa, nam inter Clericos adeſt beneficium *cap. Odoardus de ſolutionibus*, & etiam apud eos impeditur exequtio ſententiæ.

87 Copia Articolorum non datur in Regno.

88 Con-

88 Concluſione facta cum reſeruatione producendi ſcripturas, poſſunt illæ produci poſt concluſum in cauſa, imò datur terminus producenti ad illas concomitandas per teſtes *Affl. decif.* 271., *Franch. decif.* 631.

89 Declaratio circà vſum peti debet infrà 15. dies poſt intimationẽ publicationis in cauſa, quibus elapſis non poteſt amplius peti, & poteſt hæc Declaratio etiam fieri per procuratorem, ſi habeat ſpeciale mandatum, ſed ſi non habet ſpeciale mandatum, & Procurator fecit Declarationem circà vſum, non nocet Domino, niſi ſit per principalem ratificata; ego autem obſeruaui in practica ſemper poſſe peti declarationem circà vſum, & nota, &c., & non poteſt procedi ad expeditionem cauſæ, ſi fuerit per partem aduerſam inſtatum pro Declaratione circà vſum, quæ donec ſit formiter facta, ſuperſedetur in cauſa, & ſit hoc modo, v3. N. C. procurator declarat, quod vult vti omnibus

nibus

nibus Articulis, omnibus teſtibus, omnibus eorum depoſitionibus, omnibus ſcripturis, omnibus Actis, omnibus relationibus in præſenti cauſa factis, & ità dicit, & declarat; Nec dicas ibi, omni meliori modo, quià non eſſet formiter facta, & pars poterit inſtare, quod fiat formiter, qua declaratione facta per procuratorem, ratificari debet per principalem, & ſi pars declarare noluerit, compelleretur per trina decreta, & habetur facta prout deterius, etiam ſi fuerint examinati teſtes in prima Inſtantia.

90 Depoſitio principalis debet offerri in calce termini, alias quatenus oblata non fuiſſet, poteſt Reus petere depoſitionem principalis, qui omninò deponere debet, alias numquam datus terminus currere incipiet, vt in ritu M. C. incip. *Item quod infrà ipſum terminum*, *Carau. in rit. 69. n. 5.* Et ſi Iudex mandat principali, quod deponat, alias habetur pro confeſſo, & talis habetur in vltimo præcepto, & principalis de-

deponens in his, quæ ignorat, ne incidat in confeſſum debet deponere per verbum credo, & non credo, & debet notificari procuratori Actoris *pragm.* 5. *de ord. Iudic.* Et poteſt peti Depoſitio principalis vſque ad concluſionem, non autem poſt concluſionem, niſi ſuper rebus, quæ de nouo occurrunt poſt dictam concluſionem, ſuper quibus petitur, depoſitio, eſt admittenda, ſed hoc habet locum in cauſis ordinarijs, non autem in cauſis ſummarijs.

91 Dilatio quinquennalis eſt de Iure communi introducta *l. maiorem ff. de pactis*. & impedit exequtionem ſententiæ, dummodò maior pars creditorum conſentiat *Affl. deciſ.* 288.

92 Exceptiones Dilatoriæ debent opponi antè litis conteſtationem à Reo contra Actorem, ad impediendam litis conteſtationem, & dicuntur illæ, quæ impediunt litis ingreſſum, & ſunt, v3. Declinatoria fori,

litis

nibus Articulis, omnibus teſtibus, omnibus eorum depoſitionibus, omnibus ſcripturis, omnibus Actis, omnibus relationibus in præſenti cauſa factis, & ità dicit, & declarat; Nec dicas ibi, omni meliori modo, quià non eſſet formiter facta, & pars poterit inſtare, quod fiat formiter, qua declaratione facta per procuratorem, ratificari debet per principalem, & ſi pars declarare noluerit, compelleretur per trina decreta, & habetur facta prout deterius, etiam ſi fuerint examinati teſtes in prima Inſtantia.

90 Depoſitio principalis debet offerri in calce termini, alias quatenus oblata non fuiſſet, poteſt Reus petere depoſitionem principalis, qui omninò deponere debet, alias numquam datus terminus currere incipiet, vt in ritu M. C. incip. *Item quod infrà ipſum terminum*, *Carau. in rit. 69. n. 5.* Et ſi Iudex mandat principali, quod deponat, alias habetur pro confeſſo, & talis habetur in vltimo præcepto, & principalis de-

deponens in his, quæ ignorat, ne incidat in confeſſum debet deponere per verbum credo, & non credo, & debet notificari procuratori Actoris *pragm.* 5. *de ord. Iudic.* Et poteſt peti Depoſitio principalis vſque ad conclusionem, non autem poſt conclusionem, niſi ſuper rebus, quæ de nouo occurrunt poſt dictam conclusionem, ſuper quibus petitur, depoſitio, eſt admittenda, ſed hoc habet locum in cauſis ordinarijs, non autem in cauſis ſummarijs.

91 Dilatio quinquennalis eſt de Iure communi introducta *l. maiorem ff. de pactis*, & impedit exequtionem ſententiæ, dummodò maior pars creditorum conſentiat *Affl. deciſ.* 288.

92 Exceptiones Dilatoriæ debent opponi antè litis conteſtationem à Reo contra Actorem, ad impediendam litis conteſtationem, & dicuntur illæ, quæ impediunt litis ingreſſum, & ſunt, v3. Declinatoria fori,

litis pendentiæ, Compromiſſi, Carentiæ, & Incompetentiæ Actionis, Legitimationis perſonæ, cautionis expenſarum, exhibitionis ſcripturarum, & ſimiles, quæ ſolemnitates poſſunt exhiberi poſt dationem termini, *Bal. & DD. l. except. C. de prob.* Exceptio verò Iudicis incompetentiæ ex defectu Iuriſdictionis, poteſt quandocumque opponi, etiã poſt tres ſententias.

93 Exceptio Declinatoria fori, ſeù incompetentiæ, vel exceptio Recuſationis debet eſſe prima, quæ opponitur antè omnes exceptiones *l. fin. C. de except.* quià ſi alia prius opponeretur cenſeretur opponens interpellare Iudicem, vt ſuper illa pronunciet; & ſic induceretur conſenſus in Iudicem, & nõ poſſet vlterius declinari, ſeù recuſari ſecundum *Bar. & DD. in l. quidam conſulebat ff. de reg. Iur.*

94 Exceptio Litis pendentiæ eſt dilatoria, & debet opponi antè litem conteſtatam; quãdo lis intentata

tata per Actorem in vno iudicio eſt etiam in alio intentata, & ſi intentata eſſet ſtatim pendentiam litis alleget, & interim ad vlteriora procedi non poteſt.

95 Exceptio Carentiæ, & incompetentiæ Actionis, opponitur quando Actor non habet iuſtam cauſam litigandi, tunc excipiat, quia caret Actione, quod legitimet, ideſt cōſtituat Procuratorem in cauſa, & opponat exceptionem cautionis expenſarum, quibus non adimpletis non poſſet ad dationem termini procedi.

96 Exceptio Legitimationis perſonæ, vt ſi compareat pupillus ſine tutore, vel minor ſine Curatore, vel filius fam. ſine conſenſu patris *l. fin. §. neceſſitate ff. de bon. quæ liber.* vel Procurator ſine mandato *l. 3. §. defendi*, & ibi *Bar. ff. ex quib. cau. in poſſ. ea*; vel ſi comparet aliquis ſubſtitutus à Procuratore non habente poteſtatem ſubſtituendi, maximè antè litem conteſtatam *l. quod quis C. de procur.*, & non procedatur ad

vlte-

vlteriora in cauſa, niſi cum effectu legitimetur perſona *Franch. deciſ. 692.* Vel ſi comparet Procurator cũ mandato dubio, & tunc tenetur ſatisdare de rato *l. 1. vbi DD. C. de procur.*, vel ſi comparet aliquis, vt tutor poteſt ſibi opponi, vt doceat de ſolemnibus *l. legitimos ff. de legit. tutor.*, & hæc exceptio poteſt opponi, etiam poſt datum terminum ad probandum.

97 Exceptio cautionis expenſarum eſt de Iure communi introducta *Auth. generaliter C. de Epiſc. & Cler. pragm. 1. de expenſis*, & ſi ei non adimpletur non proceditur ad vlteriora.

98 Exceptio exhibitionis ſcripturarum, vt ſi Actor agat, vt hæres, Reus excipiat, quod declaret, ſi eſt hæres ab inteſtato, vel ex teſtamento, & ſi ex teſtamento replicet exhiberi teſtamentũ, quod exhibere tenetur, & ſi, vt ceſſionarius, excipiat exhiberi ceſſionem, & cum multoties fiat ceſſio in fraudem creditorum, exhibita ceſſione potes excipere eſſe in fraudem,

dem, & dandus eſt terminus ad docendum de fraude, in quo poteris inſtare pro depoſitione, tam cedentis, quam ceſſionarii; Et ſi vt Donatarius agat, potes excipere, vt exhibeatur donatio ad finem cedendi, ſi, vt Vidua agat, poteris excipere, quod doceat de Viduitate, ſuper qua dandus eſt terminus ad docendum de ea. Quibus ſcripturis petitis exhiberi, & non exhibitis, ad vlteriora procedi non poteſt. Debet fieri editio inſtrumẽtorum in libello mentionatorum ante litem conteſtatam per Actorem, alias ei reſpondere non tenetur, ſic etiam tenetur exhibere libros, quorum virtute ſibi, quod deberi petit *l. 5. & ſeq. C. de ed. l. procur. & l. ſequ. C. eodem.*

99 Exceptiones Peremptoriæ dicuntur illæ, quæ in totum perimunt Ius Agentis, prout eſt exceptio ſolutionis, iuriſiurandi, pacti, tranſactionis, & Rei iudicatæ, & ſic de alijs: Et poſſunt opponi quandicumque vſque ad concluſionem in

cauſa, *l. peremptorias C. ſen. reſc. non poſſ.*, & ſimiliter inſtrumenta iura, & aliæ cautelæ produci poſsunt vſque ad ſententiam.

100 Exceptiones, quæ impediunt exequtionem ſententiæ ſunt, v3. Exceptio inuentarij, exceptio ſolutionis, compenſationis, nouæ conuentionis, cedendarum, quæ competit quotieſcumque eſt aliquis cõdemnatus ad aliquam rem, cum qua erant alij obligati inſolidum *l. Modeſtinus ff. de ſolut.* Exceptio quod cum eo competens filijs familias condemnatis mediante ſententia, & operatur, quod non poſſunt exequi, niſi in quãtũ facere poſſunt, vt deducto ne egeant, exceptio retentionis rei pro meliorationibus competens alicui poſſeſſori condemnato ad reſtituendam rem, v3. vt prius ſibi ſoluantur expenſæ meliorationum, quo caſu impedit exequtionem ſententiæ per dictam retentionem rei, quouſque ei non fuerunt ſolutæ; Appellatio etiam im-

impedit exequtionem ſententiæ.

101 Exceptio inuentarij impedit exequtionem ſententiæ latæ contra aliquem vti hæredem, vt non poſſit exequi vltra vires hæreditarias, *Maſtrill. deciſ. Sicil.* 24., & procedit etiam in ſententia aſſiſtentiæ petita ſuper bonis hæreditarijs, ſed retentis ab hærede, ex quo pro concurrenti quantitate ſoluit creditoribus hæreditarijs *Anell. de Amato conſ.* 88.

102 Exceptio ſolutionis impedit ſententię exequtionem, *l. ſolutionis verbum ff. de ſolut.*, & quando opponitur iſta exceptio datur terminus ad probandum ſolutionem, & interim ſuperſedetur in exequenda ſententia, & ſi opponens illam non probauerit punitur pœna ducatorũ 12., *vt in pragm.* 47. *§. 3. de off. magiſtr. Iuſt.*, quæ ſolutio, vel probatur per teſtes, vel ex iuris præſumptione, quod multis modis eſſe contingit, & ſignanter ſi producantur Apocæ receptionis de annuis introitibus trium proxime præceden-

tium annorum, antequam Reus cõueniatur, quià tunc præſumitur facta ſolutio pro præterito *l. quicumque C. de Apocis lib.* 10. , *Franchis deciſ* 137.
103 Exceptio compenſationis impedit exequtionem ſententiæ, & poteſt opponi etiam ſi ſententia fecit tranſitum in rem iudicatam, *l. 2. compenſat. l. ſi cum militi §. cum intra ff. de compenſ.*, & vt operetur iſta exceptio neceſsè eſt, quod quãtitas compenſanda equaliter conſtet, & ſit liquida *l. ſi debeas ff. de compenſ. Affl. deciſ.* 121.
104 Exceptio nouæ conuentionis opponitur, quando partes recedunt à ſententia ex aliquo nouo pacto, quià tunc hanc exceptionem opponens impedit exequtionem ſententiæ *l. 2. §. ſi ex conuentione ff. de re iud.* Sed hodiè noua conuentio non attenditur, niſi probetur expreſsè, partes voluiſſe recedere à ſententia *l. fin. C. de nouat.*, niſi facta eſſet delegatio nominis debitoris; & allegans, & non probans nouam conuen-

uentione punitur pœna 12. duc. *d. pragm.* 47. *§.* 2.

105 Exceptio cedendarum competit quotieſcunque eſt aliquis condemnatus ad aliquam rem, cum qua erant alij obligati in ſolidum *l. Modeſtinus ff. de ſolut.*, & conſequenter quouſque non cedantur ſibi actiones à Vittore, quibus poſſit indè recuperare, quod ſoluit, pro portionibus aliorum, impedit exequtionem ſententiæ *l.* 1. §. *non tamen ff. de tutel. Franch. deciſ.* 406., *&* 662.

106 Exceptio quod cum eo, competit filijs fam. condemnatis mediante ſententia *l.* 2. *C. quod cùm eo*, & operatur, quod non poſſint exequi, niſi in quam facere poſſint, v3. deducto, ne egeant *Gloſ. l. ſed & ſi quis inſt. de Act.*, competit etiam patri donanti ne poſſit conueniri, & cogi à filio, niſi in quam facere poteſt *l. inter eos ff. de re iud.* Item cōpetit militibus *l. miles ff. de re iud.*, Item ſocero conuento à Nuru, nam nō poterit exequi niſi in quā face-

re poſſit *l. rei iudicatæ* §. *ſocero ff. ſol. matr.*, dummodò dolo non ſit verſatus in promittendo dotem ſciens illã ſoluere non poſſe *DD. in l. maritum ff. ſol. matr. Franch. deciſ.* 164.

107 Exceptio Retentionis rei pro meliorationibus competit alicui poſſeſſori cõdemnato ad reſtituendam rem, v3. vt prius ſibi ſoluantur expenſæ meliorationum, quo caſu impedit ſententiæ exequtionem per dictam retentionem rei, quouſq; ei non fuerint ſolutæ *l. & ſi in area ff. de condit. indebiti*, *l. in fundo ff. de reiuend.*, *Franch. deciſ.* 112. *n.* 1. Verum vt iſta exceptio locum habeat, in praxi tria requiruntur. Primo circà expenſas, quæ ſunt in triplici differentia, v3. Aliæ ſunt vtiles, aliæ neceſſariæ, & aliæ voluptariæ *l.* 1. *ff. de impenſ. in reb. dot. fact. l. certum C. de reiuend.*, & tam neceſſariæ, quam vtiles repetuntur, nam voluptariæ fiunt ad ornatum rei, & cauſa delectationis, & per conſequens de eis non habetur

tur

tur ratio *DD. in l. in fundo ff. de reiuend.* Secundo requiritur, quod meliorationes tempore exequtionis ſententiæ reperiantur liquidæ,& claræ, alias præſtita cautione per Victorem de illis reſtituendis, non obſtante dicta exceptione, exequatur ſententia *Caualc. deciſ. 28. n.6.*, & ſi partim reperiantur liquidæ, partim illiquidæ, pro liquidis competeret dicta retentio quouſq; non ſoluantur, & pro illiquidis ſufficit dicta cautio. Tertio requiritur, vt opponens dictam exceptionem ſit bonæ fidei poſſeſſor.

108 Exceptiones, quæ poſſunt opponi etiam poſt ſententiam, ſunt, quæ non in totum eneruant ſententiam, ſed illam modificant, prout eſt exceptio, nequis conueniatur, & exigatur in quãtũ facere poteſt, & exceptio inuentarij facti in hæreditate. Verum de iure nouiſs. debent proponi infrà 30. dies à die intimationis ſententiæ, alias de eis non habetur ratio, *vt in pragm. 28. cap. 25.*

109 Exceptio excuſſionis debet opponi antè litis conteſtationem *l.fin. C. de except* à fideiuſſore cõuento,vt primo diſcutiatur principalis debitor ſi eſt ſoluendo *Auth. præſente C.de fideiuſſ.* infra tẽpus quatuor mẽſium ; ſed non procedit, quando fideiuſſor renunciauit *d. Auth. præſente*, ac omni legum auxilio. Competit etiam hæc exceptio 3. poſſeſſori conuento Actione hypotecaria, nam tunc poteſt excipere, vt prius diſcutiatur principalis debitor, & eius fideiuſſor *Auth. hoc ſi debitor C. de pignor.* Competit etiã contra Agentem ſuper re generaliter hipotecata, vt prius diſcutiat ſpecialem, ſed hodiè ceſſat, quando in cõtractibus apponitur illa clauſula, vz., quod ſpecialitas non deroget generalitati, & è conuerſo, *Franch. deciſ.* 5. Verum ſi adſit iſta clauſula, & Creditor agat ſuper re generali,cautela eſt, quod proteſtetur, alias ſibi preiudicat, vt non poſſit agere ſuper generali, *Puteus deciſ.* 38. Competit etiam in omnibus

bus actionibus, quæ in ſubſidium competunt, puta in vxore agente pro aſſecuratione dotium propter vergentiam ad inopiam viri, ſuper bonis à tertio poſſeſſoris, nam tunc ſi opponatur iſta exceptio debet vxor prius bona viri diſcutere.

110 Exceptio non numeratæ pæcuniæ in contractu mutui infrà biennium poteſt opponi, in alijs verò contractibus infrà 30. dies *l. in cõtractibus C. de nõ num. pec. Affl. deciſ.* 105. *n.*2., & competit Reo quotieſcunq; conuenitur ab aliquo vigore confeſſionis factæ de receptione pecuniæ, vel rei ex cauſa mutui, tam in ſcriptura priuata; quam publica, ſed ceſſat quotieſcunq; quis realiter recepit aliquid pro complemento, vel reſiduo, nam tunc hæc verba denotant, quod totum ſit ſolutum *Bal. in l. ab Anaſtaſio C. mandati, Affl. deciſ.* 285. *n.* 3.

111 Exceptio nullitatis proceſſus, vel ſententiæ ſemper opponi poteſt.

112 Exceptio falſi procuratoris, qui nullum habuit mandatum, poteſt

opponi antè, & poſt ſententiam ad annullandum iudicium *DD. in l. licet C. de procur.*

113 Exceptio hoſtica habet locum, quando eſt ſubmonitus ex parte Regis, vt vadat in exercitum Regis, ad pugnandum contra hoſtes, nam ſi contingat interim hunc ab aliquo conueniri, vel citari, ſiuè in cauſa ciuili, vel criminali, habet ſpatium 15. dierum antequam vadat in exercitum, & 15. poſt reuerſionem, & totum illud tempus, quo ſtat in exercitu, ſuperſedetur in cauſa, & non proceditur contrà eum, nec poteſt contumax reputari, ſed ſi aliquis ſpontè acceſſit ad exercitum ſine vocatione, habet ſolum illud tempus, quo ſtat in exercitu, & non illos 15. dies; Vndè ſi interim citatur, poteſt quilibet ſuus cōſanguineus comparere, & allegare, qualiter citatus degit in exercitu Regis pro expeditione militiæ, & opponere poteſt exceptionem hoſticam, *vt in Conſt. Regni*, quæ incipit *hoſtici*.

114 Exceptio excõmunicationis poteſt opponi in quacunque parte iudicij, & datur terminus 8. dierum ad illam probandam, & impedit curſum termini, & habet locum quando iudicium fuit geſtum cum procuratore excommunicato, quià tunc eſt nullum, quod tamen intellige, quando tempore conſtitutionis erat excommunicatus, quià tunc ipſo iure non tenuit conſtitutio procuratoris, & per conſequens remanet procurator falſus, & ſic proceſſus non valet, ſecus ſi poſt mandatum ſuperuenit excommunicatio procuratori, quià valent acta ſi non opponitur, ſed ante mandatum non valent ipſo iure, ſiuè opponatur, ſiuè non, & procedunt prædicta, ſiuè ſit procurator ex parte Actoris, ſiuè Rei.

115 Exceptio eſt Actionis Excluſio.

116 Exceptio malè agis, quia antè diem agis, poteſt opponi etiam poſt litem conteſtatam.

117 Exequtionis ordo eſt, vt prius

exequatur in bonis, & ſi eſt pauper, quod non habet bona, in ſubſidium capiatur de perſona, & carceratus poteſt petere à creditore ſibi præſtari alimenta in vinculis, & probata paupertate taxantur à Iudice.

118 Exequtio ſententiæ debet fieri lata ſententia, & tranſacta in rem iudicatam, & ordo exequtionis eſt, vt primo capiantur mobilia, & deinde ſtabilia, & poſteá nomina debitorum, & his deficientibus, deuenitur vltimo loco ad capturam perſonæ, & ſic prius debent bona diſcuti, & poſteà debet capi perſona. Qua exequtione facta citari debet debitor ipſe ad reluendum dictam exequtionem, infrà tot dies, quibus elapſis (debitore non reluente) accuſantur contumaciæ, & in vltimo peremptorio, Curia ipſa ſedente, prouidetur, quod bona exequta vendantur, & vendi debent legitimis ſubhaſtationibus præcedentibus, niſi tamen aliquis comparuerit dicens eſſe exe-

quutum in bonis alienis; tunc enim ſuperſederi debet in vltimo incantu, & dari terminus ad docendum de allegatis, in quo termino potes vti depoſitione principalis, ſed in Ciuitate Neapolitana ſeruatur fieri vnam ſubhaſtationem in diebus tribus, & candela accenſa in vltimo incantu plus offerenti liberari debet, de qua venditione confici debet publicum Inſtrumentum, ſi tamen de Læſione non fuerit dictũ, & debet fieri ſolutio pretij per emptorem, qui ſi ſoluere recuſauerit fit decretum, quod faciat depoſitum infra tot dies, quibus elapſis, ſi non depoſitauerit, fit aliud decretum, quod infrà alios dies faciat depoſitum, alias compellatur per capturam perſonæ, & depoſito facto, ſi quid debitori ſupereſt, reſtitui debet, ſi verò minus, exequatur pro reſiduo. Et ſi fuerit dictum de Læſione, fit decretum, quod bona ipſa iterum ſubhaſtentur, & quod debitor procuret alias prima venditio firma remaneat.

119 Exeqution̄e facta expeditur licentia de vendendo, & illa exponitur venalis ſubhaſta, & in S.C. adeſt Incantator, qui alta voce deambulando per ipſum, exponit rem venalem; & in alij locis fiunt ſubhaſtationes, tàm in loco publico Curiæ, quam vbi res ſita eſt, & plus offerenti liberatur, & fit decretum ſuper oblatione, & extinctione candelæ, & quando non reperitur emptor, tunc adiudicatur creditori, facta prius extimatione circà valorem rei, per expertos.

120 Electione Examinatoris facta poſt dationem termini, ac Procuratori Rei conuenti notificata ſtatim expedienda eſt citatio ad teſtes.

121 Examinator teſtium deſtinatur, quando cauſa excedit valorem ducatorum 500. alias ſi eſſet infrà dictam ſummam, fieret audiētia teſtium; vel ſi agatur in cauſis Equitum Neapolitanorum, qui habent priuilegium à Rege, etiam ſi ſit infrà dictam ſummam, ſemper de-

deſtinatur Examinator S.R.C.

122 Fatalia, quæ ſint? vide infra.

123 Iudicium Petitorium dicitur illud, in quo principaliter agitur de proprietate, ſeù dominio alicuius rei, putà vbi agitur reiuindicatione, *l. cum fundum, ff. de ui, & vi armata*, petitione hæreditatis, *Gloſ. in l. 2. Cod. de edict. Diui Adr. toll.* ad vſumfructum, vel vſum, vel aliam ſeruitutem dicitur petitorium, quia agens ad iſta Iura incorporalia cenſetur Dominus iſtorum Iurium, ſecundũ *Alex. in l. naturaliter, §. nihil. ff. de acquir. poſſeſſ.*

124 Iudicium eſt Actus legitimus rrium perſonarum, nimirum Iudicis, Actoris, & Rei, *Bal. in rubr. de Iudicijs*, & eſt tota illa diſcuſſio cauſæ, quæ durat à citatione vſque ad ſententiam.

125 Inſtantia cauſæ dicitur illa exercitatio Iudicij, quæ fit à litis conteſtatione vſque ad ſententiam latam, ſeù vſque ad finem triennij, quando non fertur ſententia in-

infra triennium in cauſa ciuili, vel infrà biennium iu cauſa criminali, *l. properandum*, *C. de Iudicijs*; & ſic quando dicimus inſtantiam eſſe peremptam, intelligitur de illa exercitatione Iudicij, quæ habetur pro non facta, non tamen refertur iſte ſermo ad cauſam, nec ad Iudicium; quia perempta inſtantia, non eſt perempta cauſa, nec Ius partis, nec Iudicium, quoad illam cauſam, quin poſſit de nouo agitari, ſed solùm illa exercitatio Iudicij, ideſt illa tela Iudicij, quæ reperitur incæpta, & non completa, efficitur fruſtratoria, & habetur pro non facta, & iſta peremptio Inſtantiæ, fuit inducta in fauorem publicum nè lites fierent immortales, *d. l. properandum*; & inſtantia incipit currere à conteſtatione litis, & durat per triennium in Ciuilibus, & per biennium in Criminalibus, *d. l. Properandum*, *C. de Iud.*

126 Inſtantia perempta per lapſum triennij, ſolet Actor adire S.R.C. vt au-

authoritate Regis inſufflet vitæ ſpiritum in illa inſtantia, & ſic Rex inſufflat ſpiritum, & facit inſtantiam reuiuiſcere, perindè ac ſi perempta non eſſet, & iſta reſtitutio in Regno appellatur inſufflatio, & fit abſque erogatione expenſarum cum cauſa aliàs ſecus.

127 Iudex dicitur quaſi Ius dicens *Bar. in l. 1. ff de Iuriſd. omn. Iud.* Indè venit Iudicium à Iudice, quia dicitur Iudicium, quaſi Iuriſdictio, & ipſa materia, quæ proponitur in Iudicio dicitur cauſa, ſed dum finitur, ſcilicet per ſententiam, dicitur Iuſtitia, & ſic finis dicitur Iuſtitia, ipſum diſcutere dicitur Iudicium.

128 Ius offerendi impedit exequtionem ſententiæ, *l. ſi fundus, §. in venditione, ff. de pignor*, *& l. Paulus, C. quib. mod. pign. vel hyp ſol.*

129 Inſtrumentum vt poſſit liquidari requiritur, vt ſit liquidum, *Freccia in tract. de liquidatione Inſtrumentorum*, & qui Inſtrumentum liquidari facit, ſit principalis creditor,

tor, cum quo eſt confectum Inſtrumentum de facie ad faciem, *Affl. deciſ.64.* & ſi eſt hæres debet producere decretum præambuli, Nec contra patrem, nec contra matrem poteſt liquidari Inſtrumentum à filio, *Franch. deciſ.162. &* 166. Item Socer contra Nurum, & è conuerſo, *Minad. dec.20.*

130 Inſtrumentum ad hoc, vt poſſit liquidari, debet reaſſumi in carta pergamena in forma probante, & ſi libram auri excedat, ſubſcribi debet non ſolum à Iudice, & Notario, ſed etiam à tribus teſtibus, & ſi non excedat, à duobus tantùm, alias diceretur nullam roboris firmitatem habere, vt in *Conſtit. Regni Inſtrumentorum robur*, quod Inſtrumentum reaſſumptum præſentari debet apud acta M.C.V. & deindè expediri debet citatio contra debitorem (quam vocant ſuper tenore Inſtrumenti) Citationes enim ſuper tenore Inſtrumenti non poſſunt expediri ſine illius præſentatione, vt *in pragm.9. de offic.*

offic. Iuſtit. Et citari debet debitor perſonaliter, vel domi, vt *in pragmat. relatione ordine Iudic.* Quo citato debet creditor ipſe accuſare primam contumaciam, vt in *ritu* M. C. incip. item, quod vbi aliquod, & non eius procurator. Qua prima contumacia incuſata, debet creditor ipſe perſonaliter vltimam contumaciam accuſare in vltimo peremptorio, ideſt in prima Curia, quæ regetur elapſo triduo poſt primam contumaciam, Curia ipſa ſedente poteſt liquidare Inſtrumentum, & aſcendere palatium, quamuis creditor volens liquidare Inſtrumentum Clericus ſit, *Carau. ſuper ritu 166. num. 34.* Item carceratus intus carceres M. C. V. Item Minor, quia ad huc perſonaliter comparere tenetur cum Tutore, ad cuius Inſtantiam, conſtito de præambulo, & ſolemnibus, fuit expedita citatio, ſi verò ſit infans minor ſeptennio, & debitor non inſtet, quod veniat pupillus, liquidatur Inſtrumentum Tutore

ſo-

ſolùm comparente, tenetur perſonaliter tempore liquidationis, quamuis ſit infirmus, quamuis mulier, & ſic debitor citatus debet perſonaliter comparere, alias condemnatur, & vt contumax deindè ſtatim capi poteſt de perſona, & carceratur; niſi tamen debitor de ſero comparuiſſet coram Iudice, cui comparitioni ſubſcribere tenetur Iudex; vt *in pragm.13. §. ideſt de offic. Iuſt.* quo caſu purgatur contumacia. Benè verùm eſt, quod Reus tenetur facere inſiſtentiam ſequ. Curia, & Actore iſtante fiet liquidatio, Actore verò non comparente licentiatur debitor, vel niſi fuerit allegata abſentia debitoris; tunc enim Reus non condemnatur, ſed datur dilatio ad comparendum, qua finita ſi non comparet, iterum vocatur Curia ſedente pro Tribunali, abſque noua requiſitione, & condemnatur, *Carau.in ritu 169. num.15.* & Reus tempore liquidationis comparens poteſt carcerari, & non liberatur, niſi

niſi prius ſoluto debito creditori, & pęna Regio Fiſco, quæ licet ſit de Iure taren. trium pro qualibet vncia, *Carau. ſuper ritu* 133. *num*.2. hodiè tamen pro pęna ſoluuntur duo, & ſic de tertia parte fit gratia, ſed in paruis quantitatibus fit gratia de medietate, quæ non euitatur, quamuis eodem die, quo carceratur debitor creditori ſoluerit, *Carau. ritu* 169. *num*.8. Eſt igitur carcerandus debitor virtute Inſtrumenti liquidati, ſecundum formam ritus, quamuis in vim exequtionis offerat omnia bona ſua mobilia, & ſtabilia, & quamuis afferat ſe ſatis feciſſe, vel Inſtrumentum eſſe falſum, nullum, ſimulatum, &c. niſi tamen ſolutio, vel alia exceptio in promptu probaretur per publicum Inſtrumentum, vel aliam ſcripturam authenticam, per teſtes. Si creditor nollet in prima Curia, elapſo triduo, accuſare vltimam contumaciam, & debitor eſſet citatus intrà Ciuitatem Neap., quod eo caſu poſſet quan-

do-

documque voluerit creditor, Curia ſedente, intrà menſem dictam vltimam contumaciam incuſare, & ſi debitor extrà Ciuitatem eſſet citatus intrà duos meuſes, quo termino elapſo citatio eſſet circumducta, & ſic debitor deberet de nouo citari.

131 Inſtrumentum, quod continet infrà vnciam non poteſt liquidari via ritus.

132 Libellus debet eſſe clarus, & non obſcurus, cuius copia debet dari Reo ſumptibus Actoris, vt in *pragm. comparente Reo*, & continere debet, ſcilicet conditiones v3 quis, quid, coram quo, quo Iure petatur, & à quo, & ſic primo nomen Actoris, ſecundò rem petitam in Libello, tertiò nomen Iudicis, coram quo porrigitur Libellus, quartò cauſam concludentem, vt peto centum, quia mutuaui, ſed non eſt neceſsè exprimi nomen Actionis in Libello, ſed ſufficit, quod taliter narretur factum, quod ex narratione facti poſſit elici, quæ

actio intentetur: debet igitur perquiri, quæ actio ſibi competit, ad hoc, vt ſecundum naturam ipſius actionis ſciat adaptare verba Libelli, ſed non eſt neceſsè iſtam exprimere; quinto debet continere, à quo, ideſt nomen rei conuenti; iſtis quinque conditionibus concurrentibus erit rectè formatus Libellus. Inſuper in calce libelli ſolent apponi aliquæ clauſulæ vtiles libellanti. Prima eſt (petens ſuper prædictis omnibus, & eorum ſingulis Ius, & Iuſtitiam miniſtrari) quæ clauſula ſaluat libellum ab omni ineptitudine, & eſt multæ efficaciæ, *Afflict. dec.95*, *Capyc. dec.*10. Secunda eſt petens rem prædictam cum expenſis) per quam cenſetur Iudex interpellatus, vt condemnet victum victori ad expenſas, ad quas non tenetur Iudex condemnare ſi non petantur, *Bart. & Bald. in l. properandum, §. cum alterutra, C. de Iud.* ſed melius eſt dicere peto, &c. cum omnibus damnis, expenſis, & intereſſe, quia tunc petendo intereſſe,

ſe, videntur etiam petiti fructus, *Franchi dec.642, nu.8.* Tertia clauſula eſt (Non ſe adſtringens, &c.) quæ operatur, vt plura proponens non teneatur, niſi ad ea, quæ tantum ſufficiunt ad reportandam victoriam, & non teneatur probare qualitatem deductam in libello, *DD. in l. ſcire, §. ſcire, ff. de excuſ. tut.* & eſt ſatis vtile illam ponere in Articulis, nam, & ſi Reus ſit non probando allegata non ſuccumbet, *DD. in l. Diuus, ff. de re Iudic.* Quarta clauſula eſt (citrà præiudicium omnium Iurium) quæ operatur, vt quicquid petitur intelligitur conditionaliter; v3. quod quatenus infert aliquod præiudicium, perindè ſit, ac petitum, & factum non fuiſſet, *Put. dec.32.* Quinta clauſula eſt (omni modo meliori) quæ operatur, quod in caſu dubio libellus interpretetur eo modo, quo fauorabilius eſt Actori libellanti.

133 Laudare in Auctorem eſt, quando aliquis conuenitur aliqua actione reali ad aliquam rem, debet lau-
da-

dare ſuum Auctorem, & ſibi litem denunciare ad effectum, vt poſſit contra eum habere recurſum de euictione, *l. emptor, C. de euict.* & Auctor dicitur is, à quo quis habet cauſam, & debet comparere in foro laudantis. In quacumque parte Iudicij laudari poteſt, & ſibi lis denunciari, dummodò fiat ante publicationem proceſſus, *Gloſ. in l. ſi rem, §. fin. ff. de euict.* & ſi Auctor Laudatus eſt priuilegiatus in illo foro, an poſſit declinare forum, puta ſi venditor eſt Clericus, & emptor conuentus ſit Laicus? Reſpondetur, quod non, ſed tenetur defendere emptorem in foro ipſius emptoris, *l. venditor. ff. de Iudic.*, *& l. 1. C. vbi in rem actio*; & hoc eſt propter connexitatem Iudicij, & debet certiorare Auctorem oſtēdendo ſibi copiam libelli, vel Inſtrumenti, & requirere, quod veniat ad defendendum, & litem ſuſcipiendum.

134 Liſta ſuſpectorū debet dari infra biduum poſt intimationem termini.

135 Litis conteſtatio non datur in Regno, ſed eius loco ſucceſſit terminus, & lis incipit conteſtari à die dationis termini, quando pars aduerſa reſpondet.

136 Minor duodecim annorum non poteſt conueniri in iudicio abſque Curatore, vndè debet prius implorari officium Iudicis, quod prouideri faciat de Curatore ad litem.

137 Nominatio Auctoris differt à Laudatione Auctoris, quia Auctor laudatur ab eo, qui conuenitur, & poſſidet nomine proprio, & ſic pro Domino, ſed Nominatio fit ab eo, qui poſſidet nomine alieno; vt quando conuenitur is, qui tenet rem conductam, vel depoſitum, vel commodatam, vel precariam, nam iſte conuentus ſtatim in principio litis debet nominare Dominum in Iudicio, & dicere ſe poſſidere nomine alieno, vndè dirigitur Iudicium contra Dominum, vt ipſe poſſit defendere cauſam ſuam, & abſoluitur Reus ab inſtantia Iudicij per ſolam nominatio-

tio-

tionem, & transfertur contra Dominum nominatum, & debet fieri iſta Nominatio ante litem conteſtatam.

138 Nominatio teſtium debet fieri infrà quinq;dies à die notificationis termini, aliàs non eſt admittenda, vt *in pragmat. poſt prædictas de ordine Iudicij*, & iſta nominatio teſtium non admittitur, quando eſt multum calumnioſa, vel quãdo probatio eſt facienda per ſcripturas, tamen in cauſis recuſationũ, ſeù ſuſpitionum Iudicum admittitur, & quando Nominatio non petitur in primo termino, non poteſt peti in ſecundo termino, & faciens nominationem, & ea non vtens, punitur pęna 12. ducatorum, vt *in pragm.* poſt interlocutorias, & *in pragm. quoniam in termino de offic. S.R.C.*

139 Nominatio teſtium infrà Regnum debet fieri cum exprẽſſione loci vbi ſunt teſtes.

140 Nominatio teſtium extra Regnum debet fieri cum expreſſione

loci, nominis, & cognominis teſtium, & fieri depoſitum duc. 15. pro pęna, ſi non examinabit, & etiam depoſitum neceſſarium pro examine teſtium, vt *in pragm. 31. de offic. S.R.C. & in ritu M. C.* incip. *Item niſi eſſent teſtes*. Sed quando petitur nominatio extra Regnum, & Procurator dicit, quod vult vti dicta nominatione, ac ſi eſſet facta intra Regnũ, & examinari facere intra illos tres menſes, qui dantur in Regno, tunc euitabit depoſitum.

141 Nominatio Teſtium an in cauſa Repulſæ peti poſſit? Reſpondetur, quod ſi in cauſa principali ſint examinati teſtes Neap. non poteſt peti, ſi verò fuit facta nominatio, poteſt fieri in cauſa Repulſæ ſaltim pro examinandis duobus teſtibus.

142 Nominatio teſtium an poſſit fieri in termino primi, vel ſecundi Beneficij? Reſponditur, quod poteſt fieri, ſicut in primo termino, etiam debet fieri infra quinque dies poſt intimationem termini; & cum expreſſione loci, vbi ſunt te-

ſtes infra Regnum, extrà tamen Regnum cum expreſſione loci, nominis, & cognominis teſtium - & ſi dicta nominatio eſt conceſſa in quocumque termino pars vult eam renunciare poteſt, dummodò renunciet eodem die, vel die ſequenti, quo fuit conceſſa, aliàs punitur pena 12. ducatorum.

143 Nominatione teſtium facta per partem examinandorum in partibus, & Inſtantia facta dari liſtam Officialium, & locorum ſuſpectorum, & electione facta, ſtatim Procurator Rei expediri faciat litteras commiſſionales pro teſtibus examinandis, quibus expeditis notificari faciat Procuratori Actoris, qui reſpondere ſolet requiri ſuum principalem, quem ad hunc actum ſubſtituit, ipſique notificatis procuret teſtium examinationem in partibus ab officiali electo, requiſito prius principali, teſtibuſque citatis.

144 Noua conuentio poteſt allegari quandocumque, & debet allegari cum illis conditionibus, quando,

coram quibus, in quo loco, & quo tempore, & cum nominibus teſtium. Eſt exemplum: Ego debebam tibi centum vigore publici Inſtrumenti, et poſteà conuenimus, vt pro eis ego tradam equum, vel aliud, nam poſteà citatus ſuper tenore Inſtrumenti continentis centum, poſſum opponere nouam conuentionem. Eſt autem hic aduertendum, quod quando allegatur noua conuentio, compenſatio, vel ſatisfactio libelli debent eſſe clari, exprimentes ſpecificam ſatisfactionem compenſationis, vel nouæ conuentionis, aliàs non admittitur, ſub pęna Actuarijs infligenda ducatorum 50. & allegantibus, & non probantibus ducatorum 12. applicandorum partim Fiſco, & partim parti.

145 Nullitates impediunt exequtionem ſententiæ, *l.4. §. condemnatum, ff. de re iud. l.1. C. quand. prouoc. non eſt neceſsè.* & debent apparere ex eiſdem actis inſpectione proceſſus, nulla alia extrinſeca pro-

probatione, debent explicari in comparitione, & in qualibet ipſarum deſcribantur etiam leges, contrà quas exiſtunt, & deindè ſub illis ſe ſubſcribat Aduocatus cauſæ, vt *in pragm. Card. Borgia ſub die* 18. *Nouembris* 1620. & debet præſentari inſimul cum dicta comparitione, vbi ſunt allegatæ nullitates, depoſitum ducatorum 12. ſi ſententia ſit infrà ſummam ducatorum 1000. ſi verò illam excederet ducatorum 60. pro pena ſoluenda Regio Fiſco, caſu, que nullitates non militarent, vt *in pragm.* 5. §. *quamplurimum de offic. S R.C.* Verùm ſi antequam diſcutiantur Nullitates, allegans illas ſe pęnituerit, euitabit pęnam, & ei reſtituitur depoſitum, *Anna in c.*1. *de vaſſ. decrep. ætat.* Sed quando grauatus eſt pauper poterit allegare paupertatem, & ſupplicare Proregi, quod dignetur mandare, non obſtante depoſito, recipi nullitates, à quo obtinetur decretatio, quod S.C. ſuper allegata paupertate prouideat; &

tunc per S.C. datur terminus, & probata paupertate per allegantem, fit prouiſio, quod recipiantur nullitates abſque depoſito.

146 Oblationes in ſubhaſtationibus fiunt in ſcriptis, explicando tempus, infra quod inſtatur valere, quo elapſo erunt liberati offerentes.

147 Poſſeſſorium eſt, vbi agitur de mera poſſeſſione.

148 Præambuli Decretum, ſeù practica petentis ſe ſeclarare hæredē. Primò ità formabis Libellum. *In M.C.V. Comparet N. C. & dicit, quod in vltimis conſtitutus N. C. ipſum hæredem vniuerſalem inſtituit ſuper omnibus eius bonis, creditis, actionibus, & recolligentijs; ſed quia dictam hæreditatem adire intendit, cum beneficio tamen legis, & inuentarij, ne in futurum teneatur vltrà vires hæreditarias; Inſtat propterea ad prædicta admitti omni modo meliori.* Qua petitione oblata fit decretum, quod capiatur ſummaria informatio de expoſitis; ideſt

ideſt Comparentem inſtitutum eſſe hæredem, & aſſertum teſtatorem eſſe mortuum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ traditum, eoque conſtito, fit decretum Præambuli, & declaratur hæres. Scias, quod ad probandum, quem eſſe mortuum, requiruntur ad minus duo teſtes de viſu, & de auditu ſeptem, ſi de viſu conſtare non poſſet, quo. decreto lato debet expediri citatio ſuper aditione hæreditatis, & citari debent omnes creditores perſonaliter, vel domi, ſi certi exiſterent, ſi incerti per Bannum, & proclama per loca ſolita, quod tali die, & hora compareant propè ianuam D. Thomæ ad videndum confectionem Inuentarij, & hæreditatis aditionem, in qua die, & hora præſentibus, qui viderunt teſtatorem mortuum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ traditum, annotantur bona teſtatoris, & aditur hæreditas; de quibus omnibus conficitur publicum Inſtrumentum, & ità ſeruatur, quando quis petit ſe declarari

hæredem ex teſtamento, ſed ab inteſtato, tunc non ſolùm requiritur probari teſtatorem eſſe mortuum, ſed etiam ſe eſſe propinquiorem in gradu. Quo conſtito fit decretum Præambuli, &c. Et hoc quando ſuus hæres intendit ſuccedere cum beneficio legis; nam ſi extraneus eſſet, tunc expediri debet citatio per Edictum, & citari omnes intereſſe prætendentes ſuper hæreditate.

149 Procuratio debet produci in pricipio litis, aliàs Iudicium eſſet nullum, *l. licet*, *C. de procur.* Imò Reo non petente pro exhibitione mandati, tunc Iudex ex officio illud petere debet, *Gloſ. in ver. filius fam. §. veterani, ff. de procur.* Filius pro patre agendo admittitur ſine mandato, quia hoc habet à lege, & non ſolùm filius, ſed etiam quælibet perſona coniuncta, dummodò ſit de aſcendentibus, vel deſcendẽtibus, *l. exigendi C. de procur.*

150 Primum Beneficium poteſt peti infrà 20. dies decurrendos

à die

à die publicationis, & ad petendum ſecundum Beneficium infra alios dies 30. immediatè ſequentes in *pragmat. Card. Zapattæ* ſub die 27. Maij 1621. & poteſt dicta tempora amplius non poſſunt peti, & ea petens, & poſteà non vtens punitur pęna 12. ducatorum, niſi eodem die renunciauerit. *Rou. in pragm.* 1. *de dilat.*

151 Publicatio debet fieri elapſo termino, & impediretur ſi non eſſet elapſus; & ideò ſi quis inſteterit pro depoſitione principalis, quæ adhuc non fuit oblata, terminus non ſolùm non eſt elapſus, ſed nec currere cæpit; Vel pro exhibitione ſcripturarum, vel pro declaratione, ſi tenet, & poſſidet, & ſi eſt hæres, Vel ſi Apoca non eſſet recognita, Vel facta Inſtantia pro electione Examinatoris, ſi adhuc non eſſet facta, Terminus currere ~~non~~ incæpit, Vel ſi fuit facta, non ſtetit per partem examinare, ſed per ipſum Examinatorem electum, quo caſu ſolet fides præ-

ſentari in actis.

152 Publicatio, in cauſis, in quibus non datur terminus, ſed loco ipſius dicitur, quod capiatur informatio, vocatur facultas ad dicendum, *Carau. Ritu 72.n.13. Guid. Pap.dec.369.*

153 Publicatione facta in cauſa, ſi partes, vel aliqua ipſarum habet teſtes contrarios, & poteſt opponi aliquid contra eorum perſonas, vel dicta, tunc poteſt petere terminum ad Repulſam poſt 8. dies ab actu publicationis, vt *in Ritu* 75, qui quidem erit medietas temporis conceſſi in primo termini dato in cauſa principali.

154 Reconuentio debet fieri ante litis conteſtationem, vel ſtatim dato termino in cauſa, *Marãt.f.193. num.5.* ad hoc, vt pari paſſu in cauſa conuentionis, & reconuentionis procedi poſſit, aliàs ſecus, & Actor poſſet petere cauſam reconuentionis remitti ad Iudicem ſuũ competentem, ibi *Foller.num.6.* In qua Reconuentione ſic formabis

libel-

libellum. *In M.C.V. & apud Acta præſentis cauſæ Comparet NN. & aduerſus petitionem oblatam contra comparentem ipſum, pro parte N. C. dicit ipſum carere Actione, & proindè teneri cauere de expenſis, ac legitimare eius perſonam, & nihilominus per viam reconuentionis, ac principalis petitionis, inſtat Actorem ipſorum condemnari ad infraſcriptas pecuniarum, & rerum quantitates, ſibi debitas, vnà cum omnibus damnis, expenſis, & intereſſe, iſto, & omni meliori modo.*

155 Repulſa non eſt deneganda in primo, vel ſecundò Beneficio.

156 Repulſa non admittitur in cauſa Appellationis, niſi ex ſola cauſa falſitatis.

157 Repulſa poteſt peti infrà 8. dies à die publicationis, tamen petens repulſam, & ea non vtens, punitur pęna 12. ducatorum.

158 Reclamatur, ſeù ſupplicatur à ſententia S R.C. ſed non appellatur.

159 Reſtitutio in integrum compe-

petit perſonis priuilegiatis, vt eſt Eccleſia, Fiſcus, Vniuerſitas, Minor, & alij, *Maran. in tit. de Appell. num.78. & ſeq. DD. in l. Reſp. Cod. quib. excuſ.* Impedit exequtionem ſententiæ. *l. ſi cauſa cognita, C. de tranſact. Affl. dec.356. nu.4. & ſeq. Franch. dec.702. nu.1.* & petens hoc remedium debet allegare lęſionem, & probare eam; *l. nam ſi poſted, §. minorum, ff. de Iure iur.* & minor eam petens debet eſſe ætatis infrà 18. annorum, & poteſt peti poſt concluſionem.

160 Sententia Diffinitiua eſt Diffinitio Iudicialis controuerſiæ finem imponens, continens abſolutionem, vel condemnationem. Sententia verò interloqutoria, eſt ſententia Iudicis inter principium, & finem cauſæ ſuper aliquo incidenti, vel emergenti, & dicitur ſententia à ſentiendo, ex eo, quia Iudex iudicat ſecundum quod ſentit, *l. ſicuti, §. ſed ſi quæratur, ff. ſi ſeru. vendicetur.*

161 Sententia debet exequi iuxtà

ipſius

ipſius ſeriem, & tenorem, niſi tamen per procuratorem, prout tenetur, fuerit appellatum, *l. inuitus, ff. de procur.* Appellatione enim pendente nil innouari debet, *l. vnica, ff. nil. inn. appel. pend.* niſi tamen Appellationem interpoſitam intrà legitimum tempus non inchoauerit appellans, *l. cum autem, §. illud etiam*, aut Appellationem non exercuerit, vel deſeruerit, & ideò ſcias, quod lata ſententia per cauſæ Commiſſarium infrà 10. dies à die notificationis illius appellari debet, vt in *auth. hodiè, C. de Appell.*

162 Sententiam exequendi Ius, & facultas præſcribitur ſpatio 30. annorum, adeo quod non poterit deindè agi via exequtiua vigore dictæ ſententiæ; verùm iſta præſcriptio non currit, quando fuit incæptum exequi, *Affl. dec. 245. num. 12.*

163 Sententiæ de nullitate infrà decem annos poteſt dici par viam Actionis, & in duobus caſibus poteſt dici de nullitate ſententiæ; v3. quan-

quando eſt contra expreſſum caſum legis, allegando legem, contra quam eſt ſententia. Secundò quando eſt contra ſcripturam publicam in actis præſentatam, & dictæ nullitates proponuntur ab Aduocato, vel Procuratore cum depoſito. Et non poteſt dici de nullitate Actorum poſt ſententiam.*prag.*28.*Capit.*
164 Sententia M.C,V. exequitur, quando eſt infrà ſummam ducatorum 150. nec plus, nec minus, non obſtante appellatione, præſtita tamen cautione de reſtituendo in caſu retractationis. dummodò Reclamatio ſit facta infrà decem dies. Fallit tamen, ſi fuerit dictum de nullitate exequtionis ſententiæ, quia tunc impeditur exequtio, vel ſi fuerit petita reſtitutio in integrũ aduerſus ſententiam, dommodò petatur antequam vigore ſententiæ ſit cæptum exequi, quod intelligitur intimato mandato de parendo. Tanta enim eſt authoritas ſententiæ S.R.C. quod neque Prorex poteſt eius exequtionem impedire,
nec

nec mandare, quod ſuperſedeatur in exequendo, donec de meritis cauſæ reclamations fuerit diſcuſſum.

165 Terminus Iuris, ſeù ad probandum eſt introductus in Reguo loco litis conteſtationis, et eſt 20. dierum, *l.1. ff. ſi quid caut.* & Iudicis arbitrio breuiatur, *Carau. ſuper ritu 73. n.1. & ritu 123. n.2.* & dictus terminus eſt communis Actori, & Reo, & incipit currere à die electionis, ſeù intimationis electionis examinatoris.

166 Terminus Nominationis eſt pro prima Dieta, ideſt 20. miliaribus 15. dierũ, vt *in l. 1. ff. ſi quis caut. l. 3. ff. de verb ſignif.* ritu M.C. incipit: *Itē quod Curiæ*, deinde pro qualibet dieta vltra terminũ 15. dierũ pro quibuſuis 20. miliaribus quinq; dies, dũmodò hæc dilatio non excedat ſpatium trium menſium, niſi aliter à Iudici videbitur, & ſolet ſolui Actuario, vel Scribæ ſalarium pro dietis ad rationem vnius ſcuti pro qualibet dieta. Sed Terminus Nomi-

minationis teſtium extrà Regnum eſt in arbitrio Iudicis vſque ad ſex menſes, & iſta etiam debet fieri infra quinque dies, aliàs ipſis elapſis non admittitur, & debet fieri depoſitum ducatorum 15. pro quolibet menſe, quando nominatio eſt extrà Regnum.

167 Terminus in primo Beneficio eſt medietas primi termini, in ſecũdo verò eſt medietas medietatis.

168 Termino in cauſa dato præſentantur articuli, & proceditur ad examinationem principalis, qui ſi confitetur releuatur pars ab onere probandi, & ſi negauerit, neceſsè eſt probare, quod in Articulis continetur, per teſtes.

169 Termino elapſo, & examinatis teſtibus, vel ſi nominatio teſtium non fuerit facta, fit publicatio, & notificatur parti, ſi verò fuerit facta nominatio; & literæ expeditæ, & conſignatæ, & tunc in publicatione debet præcedere Inſtantia, & intimatur parti aduerſæ, quæ ſi nihil replicet fit publicatio per Iudi-

cem cum termino tot dierum ad accipiendum copiam proceſſus, ſi voluerint partes, ſi verò aliquid replicet iuſtam cauſam allegando, quare fieri non debeat, Iudex de his cognoſcere debet, & ſi reperit non militare, prouidetur, quod oppoſitis non obſtantibus fiat publicatio cum termino ad accipiendum copiam proceſſus, ſi verò aliqua iuxta cauſa fuerit allegata, ſuperſedere debet. *Carauit. ritu* 72. *num.* 1.

170 Terminus Repulſæ debet peti infra decem dies numerandos à die aſſignatæ copiæ proceſſus dictæ cauſæ, & caſu, quo proceſſus eſſet cartoſus poteſt peti maior terminus, ad hoc, vt eo viſo poſſit deliberari, ſi Repulſa opus erit, & è conuerſo ſi proceſſus eſt paruus poſſet Iudex eis ſtatuere minorem terminum, vt in *ritu M.C.* incip. *Item quod facta publicatione in Cauſa*, qui *Ritus* corrigitur per *Pragmat. Curſu dilationum de ordine Iud.* vbi habetur, quod facta Publicatione pro-

proceſſus, & habita ipſius copia ſunt ſtatuti 8. dies ad percunctandum proceſſum per Aduocatum, quibus elapſis die ſequenti eſt petenda repulſa, & petita intelligitur conceſſa, aliàs vlterius non debet audiri, quæ etiam *pragmat. in practica* non multũ practicatur, ſiquidem ad percunctandum proceſſum hodiè datur terminus duorũ dierum, vel quatuor arbitrio Iudicis iuxtà quantitatem ptoceſſus.

17 Terminus Repulſæ poteſt peti poſt 8. dies ab actu publicationis, & eſt medietas primi termini probatorij, infrà quem teſtes examinari debent, aliàs vlterius non eſſent recipiendi, niſi ex iuxta cauſa, & conceditur ſi præcedat proteſtatio in citatione, quæ fit ad videndum Iuramenta teſtium, illis verbis; *Proteſtor contra teſtes, & dicenda per eos, &c. Affl. in deciſ.* 351. & aduerte, quod quando facis Articulos pro Repulſa, debes ponere, & articulare, quod non animo iniuriandi, ſed tuæ cauſæ defen-

fendendæ, &c. *Carau. ritu* 73. *n.* 10. aliàs teneris actione iniuriarum *n.* 8. *Boer. deo.* 295. *n.* 8.

172 Terminus in Repulſa Repulſæ teſtium, eſt medietas termini in Repulſa dati, & opponens crimina contra teſtes in cauſa repulſæ, & non probans, punitur pena decem tarenorum.

173 Terminus primi Beneficij eſt medietas ptimi termini, quo termino elapſo debet fieri publicatio in primo beneficio, cum termino ad percunctandum acta, & intimatur, & ſi non fuerit petitum ſecundum beneficium, prout peti poteſt, procedi debet ad expeditionem cauſæ.

174 Termino elapſo in S.R.C. non ſtatim fit publicatio, vt ſeruat M. C. ſed citatur Reus ad publicandū, in qua poteſt inſtari pro termino ad percunctandum, & deindè fit publicatio, niſi aliquid replicatum fuerit, & facta publicatione, non ſtatim fit cōcluſio, elapſo termino ad percunctandum acta, ſed citatur

ad concludendum, & poſteà fit conclusio.

175 Teſtes non poſſunt recipi in examine in quolibet articulo vltrà 7. ſub pęna, vt *in pragmat. Card.* niſi cauſa eſſet antiqua, vel confiniũ, *vt in pragm.*1. *de teſtib. refren.* quia tunc eſt permiſſum vſque ad decem, & in qualibet cauſa non poſſunt recipi vltra teſtes num.40. aut ex cauſa 50. *vt in pragm. ut litigantium de off.* S.R.C. & poſſunt produci vſque ad publicationem in cauſa, & non vltrà, niſi ſuper articulis nouis dependentibus à veteribus, & Examinator electus tenetur examinare, cui ſoluũtur pro quolibet teſte, pro eius ſalario grana 10. & debent citari in termino conceſſo ad probandum.

176 Teſtes Rei, ſi eſſent abſentes, tunc Procurator Rei tempore notificationis termini nominet habere teſtes in partibus, vbi adſunt pro quibus examinandis inſtet etiam dari liſtam officialium, & locorum ſuſpectorum, & committitur teſtium

ſtium audientia officialibus locorũ, *l. Iudices cum auth. C. de fide Inſtrumentorum*.

177 Teſtes examinandi remanſi, elapſo termino, fit publicatio cum termino tot dierum, vt Iudici melius placuerit cũ reſeruatione infrà eũ terminũ examinandi teſtes citatos.

178 Teſtibus examinatis in cauſa Repulſæ fieri debet publicatio cum termino dierum duorum ad percunctandum acta, & debet parti intimari, quæ ſi non petierit Repulſam Repulſæ, prout peti poteſt, & conceditur, procedetur ad vlteriora, & ſi petierit termino elapſo, & teſtibus examinatis fieri debet publicatio in Repulſa Repulſæ petita cum termino dierum duorum ad percunctanda acta, & intimari, quo elapſo debet fieri concluſio.

179 Vagabundi, qui nec domi, nec perſonaliter citari poſſunt, debent citari per edictum, capta prius informatione de incertitudine loci per Curiam, quod edictum debet

fieri

fieri in ſcriptis, & poni in loco publico, *vt in Conſtitut. Regni citationis*, & datur terminus vnius menſis ad comparendum, ſcilicet decem dies pro primo termino, 10. pro ſecundo, & 10. pro vltimo, & peremptorio termino; & citatur per ſonum tubæ in Palatio M.C.V. de qua citatione fit relatio in dorſo illius, & affigitur in dicta M.C. ibi affixa remanſura durante termino, quo elapſo remouetur in præſentia duorum teſtium, de quibus teſtibus, & die remotionis fit relatio, & accuſantur contumaciæ, & datur terminus, &c.

180 Vnio Aularum peti debet infra 15. dies poſt intimatam monitioné ad dicendum in prima inſtantia, in qua eſt ordinariũ Præſidi S.R.C. concedere vnionem Aularum. In ſecunda verò inſtantia, ſi cauſa excedat valorem ducatorum 2000. eſt omninò decidenda iunctis Aulis per *pragm.66. de offic.S.R.C.*

Finis Praxis Ciuilis.

FOR-

FORMVLARIVM,

Circa quod interrogantur, qui admitti petunt ad exercitium procurationis.

IVdicium eſt actus trium perſonarum, nimirum Iudicis, Actoris, & Rei.

Exceptiones dilatariæ debent opponi ante litis conteſtationem.

Exceptiones dilatoriæ ſunt illæ, quæ impediunt litis ingreſſum, & ſunt, v3. Declinatoria fori, litis pendentia, Compromiſſi, Carentiæ, & incompetentiæ Actionis, Legitimationis perſonæ, cautionis expenſarum, exhibitionis ſcripturarum, & ſimiles quæ ſolemnitates poſſunt exiberi poſt dationem termini. Exceptio verò Iudicis incompetentiæ ex defectu iuriſdictionis poteſt

opponi quandocunque etiam poſt tres ſententias.

Terminus Iuris eſt viginti dierum, & Iudicis arbitro breuiatur, & dictus terminus eſt communis Actori, & Reo.

Terminus ad probandum currere incipit à die electionis, ſeù intimationis electionis examinatoris.

Nominatio teſtium debet fieri infrà quinque dies poſt intimationem termini, alias non eſt admittenda, & iſta nominatio teſtium non admittitur quando eſt multum calumnioſa, vel quando probatio eſt facienda per ſcripturas, tamen in cauſis recuſationum, ſeù ſuſpitionum iudicum, admittitur, & quando nominatio non petitur in primo termino non poteſt peti in ſecundo termino.

Terminus nominationis eſt pro prima dieta 20. miliariorum dantur 15. dies, deinde pro qualibet dieta dantur quinque dies, dummodò hæc dilatio non excedat ſpatium trium menſium, niſi aliter Iudici vide-

bi-

bitur, & ſoluitur ſalarium vnius ſcuti pro qualibet dieta

Terminus nominationis extra Regnũ eſt in arbitrio Iudicis vſque ad ſex menſes, & iſta etiam debet fieri infrà quinque dies, alias ipſis elapſis amplius non admittitur, & debet fieri depoſitum ducat. 15. pro quolibet menſe quando nominatio eſt extra Regnum.

Nominatio teſtium infrà Regnum debet fieri cum expreſſione loci vbi ſunt teſtes.

Nominatio extra Regnum debet fieri cum expreſſione loci, nominis, & cognominis teſtiũ, & fieri depoſitũ ducatorum 15. pro pœna, ſi non examinabit, & etiam depoſitũ neceſſarium pro examinatione teſtium, & infrà Regnum cum expreſſione loci, vbi ſunt teſtes, & ſi non vtitur quis nominatione facta, punitur pœna 12. ducatorum.

Et quando petitur nominatio in Regno, & Procurator dicit, quod vult vti dicta nominatione, ac ſi eſſet facta in vltimis partibus Regni, non

tenetur facere depoſitum ducatorum 80.

Litis conteſtatio non datur in Regno, ſed eius loco ſucceſſit terminus.

Liſta ſuſpectorum debet dari infrà biduum poſt intimationem termini.

Copia Articulorum non datur in Regno.

Repulſa poteſt peti infrà octo dies à die publicationis, tamen petens repulſam, & non vtens, punitur pœna 12. ducatorum.

Nominatio teſtium an in cauſa repulſæ peti poſſit? Reſpōdetur quod ſi in cauſa principali ſunt examinati teſtes Neap. non poteſt peti, ſi verò fuit facta nominatio, poteſt fieri in cauſa repulſę ſaltim pro examinandis duobus teſtibus.

Examinator teſtium deſtinatur quando cauſa excedit valorem ducatorū 500., alias ſi eſſet infrà dictam ſummam, fieret audientia teſtium, vel ſi agitur in cauſis Equitum Neapolitanorum, qui habent priuilegium à Rege, etiam ſi ſit infra dictam ſummam ſemper deſtinatur examinator S. C.

Pri-

Primum, & ſecundum Beneficium peti poſſunt, v3. Primum Beneficium peti poteſt à die intimationis publicationis infrà menſem, dummodò in cauſa fuerint factæ probationes, ſi non fuerint factæ probationes, dictus menſis currit ab intimatione concluſionis. Secundum Beneficium petitur infrà alium menſem à die intimatæ concluſionis, & beneficia non conceduntur in cauſa appellationis, & liquidationis, ſi fuerint conceſſa tamen in cauſa principali, & ſi in cauſa principali habuit ſolum primũ beneficium, poteſt tamen petere ſecundum beneficium.

Terminus in primo beneficio eſt medietas primi termini, in ſecundo verò eſt medietas medietatis.

Repulſa non eſt deneganda in primo, vel ſecundo beneficio.

Nominationes teſtium an poſſint fieri in termino primi, vel ſecundi beneficij? Reſpondetur quod poſſunt, ſicut in primo termino, & etiam debet fieri infrà quinque dies poſt inti-

timationem termini,& cum expreſſione loci, vbi ſunt teſtes infrà Regnum, extrà tamen Regnum cum expreſſione loci, nominis,& cognominis teſtium, & ſi dicta nominatio eſt conceſſa in quocunque termino, pars vùlt eam renunciare, poteſt, dunmodò renunciet eodem die, vel die ſequenti, quo fuit conceſſa, alias punitur pœna 12. ducatorum.

Depoſitio principalis peti poteſt vſque ad concluſionem, non autem poſt concluſionem, niſi ſuper rebus,quæ de nouo occurrunt poſt dictam concluſionem, ſuper quo petitur, depoſitio eſt admittenda, ſed hoc habet locum in cauſis ordinarijs, non autem in cauſis ſummarijs.

Declaratio circà vſum peti debet infra 15. dies poſt intimationem publicationis in cauſa, quibus elapſis non poteſt amplius peti, & poteſt hæc declaratio etiam fieri per procuratorem, ſi habet ſpeciale mandatum, ſed ſi non habet ſpeciale mandatum, & procurator fecit decla-

clarationem circà vſum non nocet Domino, niſi ſit per principalem ratificata, ego autem obſeruaui in practica ſemper poſſe peti declarationem circà vſum, & nota, &c.

Noua conuentio poteſt allegari quandocunque, & debet allegari cum illis conditionibus; Quando, coram quibus, in quo loco, & quo tempore, & cum nominibus teſtium. Eſt exemplum: ego debebam tibi centum vigore publici inſtrumenti, & poſteà conuenimus, vt pro eis ego tradam Equum, vel aliud, nam poſteà citatus ſuper tenore inſtrumenti continẽtis centum, poſſum opponere nouam conuentionem. Eſt autem hic aduertendum quod quãdo allegatur noua conuentio, compenſatio, vel ſatisfactio comparitiones, & libelli debent eſſe clari exprimentes ſpecificam ſatisfactionem, compenſationis, vel nouæ conuentionis, alias non admittitur, ſub pœna Actuarijs infligenda ducatorum 50., & allegantibus, & non probantibus ducatorum 12. appli-

candorum partim Fiſco, & partim parti.

Compromiſſum non poteſt peti in caufa Appellationis.

Exceptiones peremptoriæ poſſunt opponi vſq; ad ſententiam, eſt tamen alia opinio, eſſe in poſſe Rei opponere antè litis conteſtationem vſq; ad concluſionem.

Exceptiones peremptoriæ ſunt tranſactionis, ſolutionis, Iuris iurandi, pacti, rei iudicatæ, & ſimilia.

Vnio Aularum peti debet infrà 15 dies poſt intimatam monitionem ad dicendũ in prima inſtantia, in qua eſt arbitrarium ſpectabili Præſidi S. C. concedere vnionem Aularum, in ſecunda vero inſtantia, ſi cauſa excedat valorem dictorum duc. 2000. eſt omninò decidenda iunctis Aulis.

Adiuncti in cauſa peti debent à Præſide S. C. quando in votando ipſe non interuenit, & hoc quando in cauſa factum eſt penitus verum, ſed ſi votauit, petuntur à Prorege.

Appellari poteſt à ſententia infrà decem dies, vſque ad quatraginta debet

bet proſequi appellatum, & ſi infrà decem dies non fuerit appellatum ſententia facit tranſitum in rem iudicatam, ſicut ſententia diffinitiua.

Sententiæ de nullitate infrà decem annos poteſt dici per viam actionis, & in duobus caſibus poteſt dici de nullitate ſententiæ, v3. quando eſt contra expreſſum caſum legis, 'allegando legem, contrà quam eſt ſententia, ſecundo quando eſt contra ſcripturam publicam in actis præſentatam, & dictæ nullitates proponuntur ab Aduocato, vel Procuratore cum depoſito. Et non poteſt dici de nullitate Actorum poſt ſententiam.

Sententia M. C. exequitur quando eſt infrà ſummã dictorum duc. 150., nèc plus, uec minus, non obſtantę appellatione, præſtita tamen cautione de reſtituendo in caſu retractationis, dummodò reclamatio ſit facta infrà decem dies. Fallit tamen ſi fuerit dictum de nullitate exequtionum ſententiæ, quià tunc

impeditur exequtio, vel ſi fuerit petita reſtitutio in integrum aduerſus ſententiam, dummodò petatur antequam vigore ſententiæ ſit ceptum exequi, quod intelligitur intimato mandato de parendo. Tanta enim eſt authoritas ſententiæ Sacri Conſilij, quod neque Prorex poteſt eius exequtionem impedire, nec mandare, quod ſuperſedeatur in exequendo, donec de meritis cauſæ reclamationis fuerit diſcuſſum.

Appellatio dicitur deſerta. Primo quando non præſentantur acta Iudici ad quem. Secundo ſi præſentauit, ſed per negligentiam non fuit proſequta appellatio. Tertio ſi appellans poſt ſententiam litigauit coram Iudice à quo, quià tùnc tacitè videtur renunciare appellationem, & denuò, ſi Iudex ſtatuit terminum Appellanti ad proſequendum, & non fuit proſequtum.

Lis incipit conteſtari à die dationis termini, quando pars aduerſa reſpondet.

A decreto diffinitiuo M. C. V. poteſt appellari infrà decem dies ad appellandum, & 50. ad proſequendum,& ſi Iudiciũ non loquitur per duos annos, decretum facit tranſitum in rem iudicatam, & amplius procedi non poteſt.

FINIS.

PRAXIS

CRIMINALIS M.C.V.

1 ACcuſare omnes poſſunt, qui non reperiuntur expreſsè prohibiti *l. qui accuſare ff. de accuſat.* puta Clericus, ſi tamen ex eo crimine pæna ſanguinis ingeratur, quo caſu ſi accuſat efficitur irregularis *c.* 2. *&c. poſtulaſti de homicidio,* niſi tamen Clericus proteſtetur, quod non intendit agere ad vindictam, & ſic citrà pænam ſanguinis, tunc enim non efficitur irregularis.

2 Actio Criminalis tollitur ſpatio 20. annorum, & ſic quod quis non admittitur ad accuſandum *l. querela C. de falſis*, neq; Iudex ex officio poteſt, poſt hoc temporis ſpatium, procedere, quià Inquiſitio loco accuſationis ſuccedit, & proinde ſublato Iure accuſandi, cenſetur

ſub-

ſublatum Ius inquirendi, licet *Gloſ. in d l. quærela* dixerit, quod præſcribitur officium Iudicis inquirentis ſpatio 30. annorum, quæ eſt reprobata.

3 Actio iniuriarũ competens iniuriato, tollitur per pacem factam cum iniuriato, non autem per dictam pacem tollitur ius criminaliter puniendi ad vindictam Reip. *Bar. in l. 1. §. ſi ea ff. de ventr. in poſſ. mitt.*, et ſic licèt pars remittat iniuriam faciendo pacem, non tamen debet per hoc Iudex deſiſtere ab inquiſitione, et punitione.

4 Alguzerij poſſunt fugientem vulnerare ad hoc, vt ipſum capiant *Boer. deciſ.* 170. & *Bald. in l. fin. C. de exhib. reis, Gramm. dec.* 41. quod procedit tamen in fugiẽte pro cauſis criminalibus, at ſecus pro cauſis ciuilibus, *Bald. in auth. ſed nouo C. ne vxor pro marito*, hoc tamen hodie non toleratur.

5 Bannire Reum, eſt ponere Reum extrà protectionem Ciuitatis, & ſic conſtito Reo in contumacia, ſerua-

tis

tis ſeruandis, bannitur per loca ſolita, & conſueta, publicato Banno, ſi Reus fuerit accuſatus pro crimine capitali, pro quo veniret imponenda pæna mortis naturalis, vel ciuilis, vel perpetui carceris procedatur ad foriudicationem, vt in *Conſtitut. Reg. pænam eorum*, et nemine comparente ad impediendum ſententiam foriudicationis, profertur decretum, procedendum eſſe ad ſententiam foriudicationis ſeruata forma Iuris, et ità publicatur ſententia, cuius tenor talis eſſe debet; Et quià nobis, et noſtræ Curiæ conſtat talem eſſe culpabilem dicti maleficij, præſertim ex eius confeſſione reſultante ex contumacia, etc. iùxtà formam iuris, ideò ipſum condemnamus in amputatione capitis, etc. ità quod ſi aliquo tempore venerit in poſſe Curiæ, et iuſtitiæ deputatum, et conſuetum, et ibi eius caput amputetur, donèc moriatur, et interim à toto dominio bannimus, etc. qua publicatione facta, ſeruatur dictà ſententia foriudi-

dicationis in M. C. duabus clauibus clauſa, vt in *pragm. 1. de ſententia foriudicationis.* Et ſi euenerit, quod foriudicati capiantur, conſtito Curiæ, illoſmet eſſe, ſtatuat eis Iudex breuem terminum ad dicendũ cauſam quarè contrà eos exequi no debent ſententia foriudicationis, et prouideat eis de Aduocato, et Procuratore, et petentibus copiam foriudicationis, et Banni, et contumaciæ, conſignari faciat, et ſi nullitas per ipſos non allegetur, ſtatim mittat ad furcas, vel eis caput amputari faciat, ſecundum tenorem ſententiæ.

6 Carceratus ſecuta abſolutione, poteſt à carceris cuſtode retineri in carceribus pro expenſis in carceribus factis, *Guid. Papa in dec.* 448.

7 Cauſa criminalis infrà biennium finiri debet *l. 3. e l. 2. C. vt intrà cer. temp. e l. properandum C. de Iud.*

8 Citatio eſt de proceſſu, et ordine iudiciario, et ſi Reus non fuiſſet citatus, vel citatio eſſet nulla, vel minus legitimè facta, proceſſus, et om-

omnia, quæ ſequntur eſſent ipſo iure nulla *l. ea, quæ C. quomodò, & quando Iud. Gloſ. in l. accuſatoribus C. de accuſ.* Et debet fieri de ſpeciali Iudicis commiſſione, ad cuius inſtantiam emanatur, & debet continere cauſam, propter quam citatur, et debet à Iudice ſubſcribi. Requiritur in ea verbum, ad peremptoriè comparendum *l. ad peremptorium ff. de Iud.* Nomen Actuarij, et in ea apponatur terminus ad comparendum *l. fin. ff. de requir. reis*; Relatio Nuncij citantis, et quod in ea apponatur verbum, perſonaliter comparendum.

9 Citatione intimata accuſantur contumaciæ hoc modo, v3. Si Reus citetur intrà Ciuitatem Neap. vel vbi Curia regitur, accuſatur prima contumacia in die ſequ. comparitionis, ſi extrà Ciuitatem accuſatur in vltimò die comparitionis, ſi extrà Regnum citatur, accuſatur contumacia in 6. die, qua contumacia accuſata expectatur per tres alios dies continuos, in quibus etiam

etiam dies feriati connumerantur, et ità de generali conſuetudine, et equitate expectatur triduum, et deindè 4. die iuridico ſequ. vocatur in banca Curia pro Tribunali ſedente, vt in *pragm. 3. de ord. Iud.* et in *Ritu M. C.* incip. *Item ſeruat ipſa Curia*, et ſi de ſero non comparet, pro, vt ſolitum eſt, nec aliquis pro eo iuſtam cauſam excuſationis allegando, remanet firma contumacia, vt eſt abſentiæ, captiuitatis, infirmitatis, tales enim excuſationes ſunt admittendæ etiam de iure communi.

10 Confeſſio facta per Reum in tormentis ſine legitimis inditijs, nec ſeruatis de iure ſeruandis, eſt ipſo iure nulla, nec poteſt confeſſus ex ea condemnari, etiam quod in illa perſeueret *Gloſ. in l. quæſtionis ff. de quæſt.* quam ſequuntur communiter *DD.* non enim debet Reus ex ſola confeſſione damnari, quià debet etiam conſtare de delicto.

11 Fama publica, et vox facit inditium ad torturam, *Gramm. conſ. 17. n. 10.*

n. 10., *& conſ.* 57. *n.* 10., *Affl. in Conſt Regni, ſi damna* 47. Vox enim populi vox Dei eſt, et loco ſententiæ præſumitur.

12 Foriudicatus petens defenſiones, an ſit admittendus, ſi ſpontè comparuerit poſt ſententiam foriudicationis? Reſpondetur quod non, niſi à Principe fuerit admiſſus ad nouas defenſiones, *Aret. conſ.* 145. *n.* 5. 6.

13 Fuga in continenti ſequta facit inditium ad torturam, *l. Cornelia § fin. ff. ad Sillan.* maximè quandò quis aufugit infrà paucos dies poſt delictum commiſſum antè accuſationem, *c. conſuluit extrà de off. de leg.*, *Dec. conſ.* 234. *n.* 3. Conſcientia enim læſa facit hominem timidum, et fugitiuũ, quià qui malè agit odit lucem, vt habetur *Ioan. c.* 2.

14 Iudicium Criminale dicitur quãdo agitur ad commodum publicũ, ſiuè ex delicto imponenda ſit pœna corporalis, ſiuè pæcuniaria, quæ Fiſco applicanda veniret, *Gloſ. in l.* 3. *ff. de ſepul. viol.*

15 Reus

15 Reus in criminalibus debet perſonaliter comparere, nec admittitur Procurator, *l. penult. §. ad crimen ff. de publ. Iud.*, *l. ſeruum §. publicè ff. de procur.*, et ſi aliquis occidiſſet Bannitum, qui vigore Banni potuiſſet impunè occidi, adhuc enim debet perſonaliter comparere, nec admittitur procurator.

16 Reus poſtquam captus eſt, ſolent Iudices adhibito ſcriba ſuper ipſo delicto, examinare Reum interrogando, quomodò, et qualiter reperiatur captus, et ex qua cauſa carceratus, et de alijs circumſtantijs, prout cauſa expoſcit, et ſi delictum confitetur, non eſt vlterius examinandus de iure communi, ſed ad vlteriora procedatur, quod de cõſuetudine non ſeruatur, & ſi Reus corã Iudice conſtitutus non vult reſpondere interrogationibus ſibi factis, præcisè affirmando, vel negando, vel nihil reſpondendo, vel nõ recordor, vel neſcio, poteſt Iudex illum ponere ad torturam, & illum cogere, vt reſpondeat affirmatiuè,

vel

vel negatiuè trina monitione pręcedente, ſecundum *Bald in l. accuſationem, ff. de accuſ.* Si Reus negat delictum, parte citata debent repeti teſtes, & examinari ſuper veritate delicti, quinimò valdè grauiter erraret Iudex, qui omiſſa tali teſtium repetitione, procederet ad torturam, vel condemnationem, *Blancus in pract. crim. fol.5. nu.33.* & ſcias, quod ſi recognitio, vel confrontatio eſſet facta per teſtes cum ipſo Reo, & in eius præſentia confirmarēt eorum dicta, quę prius dixerant, quod eo caſu iſti teſtes dicuntur parte citata repetiti.

17 Reus ſi ſit plene conuictus, vel confeſſus, debet à Iudice condemnari; ſi ſemiplenè, tunc torturæ ſubijci debet, ſi verò nec ſemlplenè eſt conuictus, tunc tanquam deficiente probatione, eſt abſoluendus.

19 Reo abſoluto in Iudicio criminali poteſt pars inſtare, et ab eo peti ſibi præſtari cautionem de non offendendo, aliàs ipſum non liberari, & Iudicis eſt illum coggere

re

re ad eam præſtandam, *l. illicitas, § ne potentiores, ff. de off. præſ,*

19 Recognitio fieri ſolet, ſeù confrontatio, quando teſtes dicunt cognoſcere Reum per ſigna, vel ſi dicant eum non cognoſcere de nomine, ſed de viſu, vel quando teſtes ſunt inter ſe contrarij, vel quando teſtes deponunt tale quid, quod de directò contrariatur dicto Rei in ſuo examine, & debet Reus teſtibus adhiberi non ſolus, ſed poſitus inter alios tres, aut quatuor illi ſimiles, veſtibus, ſtatura, & facie quoque, & ita in Regno ſeruatur, *Foller. in pract. crimin. fol.27. n.46.*

20 Terminus in cauſa ad faciendas defenſiones, debet dari Reo, etiã nõ petenti, à Iudice, quo termino dato danda eſt copia Reo, ſi eam petierit, *Ripa in l.2. C. de edendo,* cum teſtium nominibus, et cognominibus, niſi tamen teſtes repetiti non fuerint Reo legitimè citato, & Reus poteſt renunciare dicto termino.

21 Termino dato, & conſignata

co-

copia Indiciorum Reo, debent eius defenſiones recipi, quo termino elapſo ſit publicatio in cauſa, qua facta ſolet peti repulſa teſtium, quę eſt ſpecies defenſionis, & eſt concedenda, *Affl. dec.351.* et non ſolùm Reo, ſed etiam accuſatori.

22 Teſtes poſſunt cogi ad teſtificandum in aſſumendis informationibus contra Reum, *§. præterea Auth. de teſt.* et hoc quamuis teſtis in magiſtratu ſit, *l. ob carmen, §. 1. ff. de teſt.* quod intellige in cauſa criminali procedere, at ſecus in cauſa ciuili, *l. ſi quando, C. eod* et hoc nę remaneant delicta impunita.

23 Tortura eſt corporis, et mentis cruciatus ad eruendam veritatem repertus, *Gramm. conſ. 15.* & non eſt adhibenda tortura, niſi pro grauibus, et enormibus delictis, *Brun. in tract. de indit. & tort. in 3. quæſt. principali.*

24 Tortura quando adhibenda eſt; Interpoſito Decreto de torquendo, Iudex debet Reum immediatè torquere, ſecundum conſuetudinem

Pro-

Prouinciæ, non excedendo modum conſuetum, qui adhiberi debet ſecundum qualitatem perſonę, et indiciorum, aliā tenebitur in ſindicatu, *Bart. in l. quæſtionis, ff. de quæſt.* et debet incipere à magis ſuſpecto, et ſi omnes ſunt æqualiter ſuſpecti, tunc ſi eſt maſculus, et fęmina, incipiendam eſt à fęmina, ſi omnes maſculi incipiendum eſt à minori, debiliori, et timidiori, *l. vnius, ff. de quæſt. Mar. fol.* 82. *nu.* 13. et Reus non poteſt torqueri ob debilitatem, vel aliam cauſam, tunc igne ad plantas pedum appoſito, vel ſtanghettis torqueri debet, et ſi Reus in tortura confitetur delictum, tali confeſſioni non eſt ſtandum; niſi in illa perſeueret, et eam extrà tormenta ratificet, *Boer. deciſ.* 163. *num.* 18. *Brun. de indit. & tort. fol.* 134. *num.* 3. quæ ratificatio non ſtatim eſt facienda, ſed eſt expectandum tempus vnius diei, *Ang. in l.* 2. *C. de Cuſtodia reorum*, et eſt facienda ad bancum Iuris, extrà locum torturæ, alias dici poſſet

ad-

adhuc durare metum tormentorũ; et ſi Reus legitimè tortus, et confeſſus, ſuam confeſſionem ratificare noluerit, debet de nouo torqueri, *Bart. in l. vnius, §. Reus. ff. de quæſt.* et ſi iterum confeſſus ratificare noluerit, debet tertio torqueri, et ſi in ratificatione durus perſiſterit debet abſolui; et ſic fuiſſe deciſum refert *Boer. deciſ. 163.* Si verò Reus extra tormenta ratificauerit, tunc Iudex debet impartire terminum dierum duorum, vel trium, ad dicendum quicquid dicere voluerit aduerſus ſuam confeſſionem, *Maran. fol. 136. num. 25.*

FINIS.

ANT 1319780

B